2

D. CHRISTIANI GOTTLIEB LUDWIG

ORD. MED. IN ACAD. LIPS. DECANI

METHODVS DOCTRINAE MEDICAE VNIVERSAE

PRAELECTIONIBVS

ACADEMICIS

ACCOMMODATA



LIPSIAE

IN OFFICINA LIBRARIA GLEDITSCHIANA

MDCCLXVI.

COMMILITONIBVS HVMANISSIMIS S.

Editis tandem anno ſuperiori inſtitutionibus medicinae forenſis, abſolui omnes libellos, quos doctrinae meae academicae accommodatos iudicaram: nunc valde laetor, quod ex Veſtra inſtitutione cognoui, tenues hos labores non ſine fructu fuiſſe. Equidem cum et hoc praeuiderem, me iis non ſatisfacturum eſſe, qui conſummatam eruditionis vim in eiusmodi inſtitutionibus quaererent, tamen per triginta, et quod excurrit, annos in variis medicinae doctrinis exercitatus plane cognoui, diuerſum omnino modum eſſe, initia doctrinarum tironibus tradendi, et exer-

citatos iam medicos inuentis ſuis inſtruendi. Prius tantum officii mei erat, alterum doctioribus relinquo, qui id vnice in votis habeam, vt doctrinae noſtrae alumnis vtilis ſim.

Quod autem inter tot occupationes quibus quotidie diſtrahor, telam inceptam pertexere potuerim, et vires animi et corporis confirmatas ſentiam, benignitati ſummi Numinis, quam ſupplex veneror, tribuo. Neque de nouis laboribus ſuſcipiendis cogito, ſed prudenter vela contraho, in corrigendis tantum meis libellis, vt hactenus, ſic et in poſterum ſemper occupatus ero. Vix vero ſatis dicere poſſum, quantum docendo didicerim. Non enim tantum egregii iuuenes quaeſtionibus motis meam diligentiam exercuerunt, ſed in profectus Veſtros inquirendo plane perſpexi, etiam imbecillos adiuuandos eſſe, qui, dummodo per initia doctrinarum bene ducantur, tardius quidem, ſed certo ad excellentiam artis perueniunt.

Haec

Haec omnia vero accurate perpendens, de hoc libello, qui methodum vniuerſae doctrinae medicae ſiſtit, cogitaui, quo omnem ſtudii ambitum et officia tironis medici in diſcendo, et doctoris in colenda medicina, paucis plagulis delineaui. Equidem tantum ad praxin medicam reſpicere, et, cum ipſe quotidiana aegrorum conſideratione inſtruar, id tantum agere volui, vt theoreticas artis medicae diſciplinas ad praxin ſiue morborum medelam dirigerem, et eos, qui ex ſcholis noſtris egrediuntur, ad medicinam recte faciendam hortarer. Introductionem vero in omnem medicinam, quam antea iam phyſiologiae praemiſeram, magis correctam dedi, quo ſpecimen adeſſet curarum, in libellos meos in poſterum impendendarum. Neque tamen in altera parte officium medicorum practicorum tantum tradere poteram, cum hi etiam cognoſcere debeant, qua ratione inuentores in amplificando ſtudio, profeſſores autem in eo ſuccincte ordinando, et ad principia ducendo occupati ſint, et hac ratione vtrorumque labores in ſua commoda melius

conuertere, ipſique in colenda arte ſalutari ſymbolam ſuam conferre poſſint.

Me quidem non latet, in hac re, vt decet, exequenda plura praeſtanda fuiſſe, compendiaria tamen ſcribendi ratione vti debui, cum praelectionibus academicis accommodatum libellum ſcribere ſuſcepiſſem. Vos enim, qui in explicanda hac methodo hactenus me audiuiſtis, vere perſpicitis, me alios medicorum labores laudando, alios corrigendo, nunquam tamen vituperando, facile ex vna parte adulatoris, ex altera cenſoris acerbi ſuſpicionem incurrere potuiſſe. Satius itaque erat, exemplis vel nullis, vel certe paucis vti, ſed potius propoſitiones tradere et declarare: qui enim hiſtoriae medicae literariae gnari ſunt, et in veterum et recentiorum ſcholis doctrinae verae et falſae exempla animaduertent, et ad ſua loca referre poterunt.

Id praecipue in commendatione librorum expertus ſum, quos parte prima capite quinto collegi; adeo enim difficilis erat de-

lectus,

lectus, vt et nunc varia mutanda habeam. Quamuis igitur §. 176. promiserim, me in altera parte methodi optimos medicorum libros, et qua ratione iis vtendum sit, declarare velle, promisso tamen stare haud potui, cum saepe dubius essem, quos prae reliquis commendarem, ideoque tantum in explicationibus pauca de his adspersi, in scholis autem literariis, in quibus Vobis libros medicos ostendo, simul moneo, quibus in vniuersa doctrina aut in vna tantum vel altera parte vti debeatis. Quilibet enim, qui BOERHAAVII methodum discendi medicinam, ab HALLERO editam, in variis doctrinae partibus consuluit, facile perspiciet, de libris vtilibus in compendio nihil dici posse. Ego vero in scholis meis id semper curae cordique habebo, vt historiae literariae fundamenta, ad illustrandam rem medicam necessaria, semper tradam, et auditores meos cum ad cognitionem, tum ad imitationem praestantissimorum scriptorum impellam.

Omnes vero excellentissimos Professores medicos rogatos cupio, vt, si hunc libellum

bellum, doctrinae noſtrae alumnis tantum traditum, forte perluſtrare haud dedignentur, beneuole moneant, ſi quid in methodo vniuerſa, vel etiam in partibus, minus recte propoſitum ſit: nunquam enim in partibus cultura ſtudii vtilis erit, niſi ad totum doctrinae nexum ſiue ſyſtema referatur. Nemo autem hac de re certius iudicium ferre poterit, quam qui in tradendis diſciplinis cum cura verſatur, et cognoſcit, ſuperficiariam nimis medicinam docendi et colendi rationem, qua partes quaedam obiter, nunquam vero nexus doctrinae attingitur, ſiniſtrorum in medendo effectuum, crebrius occurrentium, cauſſam eſſe.

Vos vero, Optimi Commilitones, valete, et res Veſtras ſerio, hoc eſt, feliciter agite. Dabam Lipſiae, Menſe Martio. A. O. R. MDCCLXVI.

METHO-

METHODVS DOCTRINAE MEDICAE.

PROLEGOMENA.

§. 1.

Conſideratio rerum, quae vitam hominis, praecipue ratione actionum phyſicarum, concernit, ideoque ſanitatem, per varia vitae ſtadia variam, morborum in hoc decurſu oriundorum, et mortis tandem ſubſequentis rationem declarat, eos in republica occupatos tenet, qui medici dicuntur, quorum officium in eo conſiſtit, vt conſilia de ſanitate tuenda, et remedia contra incommoda vitae et morbos, exhibeant.

§. 2.

Mutationes enim corporis viui, ſani et aegri, per experientiam omnibus cognitae, a medicis accuratius oſtenduntur, qui non tantum in earum veras cauſas inquirunt, ſed ad omnes res naturales, quae in vniuerſo ſunt, reſpiciunt, quo earundem relationem ad corpus humanum recte perpendant, et ge-

nuinam applicandi rationem doceant, vbique etiam modum agendi ex veris cognitionis principiis eruere tentent.

§. 3.

Ampliſſimam hanc cognitionem non niſi ſedula attentione ad res naturales, et diuturni temporis multo vſu acquiri, ideoque HIPPOCRATEM artem longam, vitam breuem vere dixiſſe, illico patet. Nemo itaque erit, qui ſua opera cognoſcere poſſit omnia, quibus medici officium abſoluitur; nemo, qui omnia medicorum inuenta in vnum doctrinae corpus redigere queat.

§. 4.

Illis vero, qui in his rebus diſquirendis diu multumque verſati ſunt, qui controuerſas quoque medicorum ſententias inter ſe compararunt, ideoque ad aliquam cognitionis praeſtantiam peruenerunt, eo enitendum eſt, vt eandem in ordinem digerant, nec tantum omnem ambitum diſciplinae deſcribant, ſed etiam ſingula doctrinae capita ita ordinent, vt facilius ab iis tractentur, qui in addiſcenda et colenda medicina occupati ſunt.

§. 5.

Methodus itaque doctrinae medicae vniuerſae non tantum tironem in arte medica addiſcenda regit et iuuat, ſed etiam vlteriorem huius ſtudii culturam ordinat et perficit. Proinde oſtendit conatus medicorum, eosque ex rei natura diiudicat, quomodo omnes ſimul ad ſtabiliendam et perficiendam artem medicam adhibeantur, et hac in re vnita plurium eruditorum opera id effici docet, quod ſingulorum vires ſuperat.

§. 6

§. 6.

Dum autem coniunctum plurium medicorum ſtudium nunc ordine quodam accuratius deſcribere ſuſcipimus, in duas partes diuiditur tractatio noſtra, quarum prior oſtendit, quomodo tirones ad omnes doctrinae medicae partes addiſcendas ducendi ſint, poſterior eos, qui ex ſcholis exierunt, inſtruit, quomodo in medicina colenda et facienda verſari debeant.

§. 7.

In priori itaque de doctrina medica, quatenus in ſcholis traditur, exponimus. Conſideratur autem diuerſa medicinae conditio a priſcis vsque ad noſtra tempora, praecipuae ſtudii mutationes annotantur, inde definitio eruitur, et res, quae in medicina occurrunt, ſigillatim perpenduntur, et ita ſyſtema medicinae vniuerſae delineatur, quo facto partes ſingulae examinantur, et ſcripta praecipua, quibus initia doctrinae illuſtrantur, et quae ideo a diſcentibus euoluenda ſunt, proponuntur.

§. 8.

In altera parte illis norma ſuppeditatur, qui, doctrina medica vniuerſa imbuti, nunc vlterius in ſcientia colenda et arte facienda verſari cupiunt. Alii ex his vnam alteramque doctrinae partem ſigillatim tractant, inuentisque augent; alii doctrinae medicae alumnos docendo inſtruunt; alii tandem conſilia de ſanitate tuenda et morbis curandis exhibent. Quamobrem triplex officium medici, inuentoris, profeſſoris, et practici, explicandum eſt.

§. 9.

His itaque generatim praemiſſis, vniuerſae doctrinae medicae ratio melius cognoſcitur, quam vbi

in tabula ſynoptica adumbratam dederimus, ad explicationem ſingulorum capitum progrediemur.

Methodus doctrinae medicae ideo conſideratur

I. In addiſcenda medicina et

Cap. I. Succincta artis medicae hiſtoria traditur.
Cap. II. Definitio medicinae inde eruitur.
Cap. III. Res, in quibus medicina verſatur, generatim explicantur, et tabula ſynoptica vniuerſae medicinae ſubiicitur.
Cap. IV. Diſciplinae ad medicinam pertinentes ſigillatim adumbrantur.
Cap. V. Libri, qui addiſcendam medicinam iuuant, recenſentur.
Cap. VI. De indole tironis medici diſſeritur.

II. In colenda medicina et

Cap. I. De dexteritate, et officio doctoris medici agitur.
Cap. II. De Medico inuentore
Cap. III. De Medico Profeſſore
Cap. IV. De Medico practico ſigillatim agitur.
Cap. V. De publica rei medicae cura diſſeritur.

PARS

PARS I.

DE ADDISCENDA MEDICINA.

§. 10.

Primo quidem de indole tironis medici disserere deberemus, ne alia quam apta ad hoc studium tractandum ingenia eligerentur: maluimus autem, antequam hunc selectum institueremus, ideam totius doctrinae medicae ex historia eiusdem eruere, et ita rerum agendarum rationem perquirere.

CAPVT I.

SVCCINCTA HISTORIAE MEDICINAE DELINEATIO.

§. 11.

Historiam medicinae, ab initiis vsque ad nostra tempora varia ratione cultae, ex monumentis veterum et recentiorum scriptorum colligere, cum reliquis gentium fatis, inprimis qua eruditionem vniuersam spectant, comparare, et vbique ordinis chronologici rationem habere, nostrum non est, qui potius primarias studii medici mutationes sic recensemus, vt vera eius conditio inde intelligatur.

§. 12.

Corpus animale, nominatim humanum, artificiosissime constructum, ab exiguis initiis crescit, per nutrimentum, variis organis elaboratum et in omnes partes distributum, conseruatur, et diu saepe ad vegetam vsque senectutem, morte naturali finiendam, deducitur. In hoc vitae decursu eo etiam vigore

praeditum eſt, vt variis iniuriis, a cauſis externis illatis, reſiſtere, eorumque effectus ſuperare poſſit.

§. 13.

Incrementum et conſeruatio corporis per actiones ei proprias efficitur. Per has nempe nutrimentum, in chylum et ſanguinem mutatum, in motu huius per varia vaſa ita elaboratur, vt inde partes per actiones vitae deſtructae et expulſae reſtituantur. Saepe tamen languidiores vel concitatiores motus has actiones turbant, et corpus infirmum reddunt, vt cauſis laedentibus parum reſiſtere queat. Hinc oriuntur infirmitates et morbi, hinc vel praematura vel etiam ex ſumma ſenii imbecillitate pendens mors inducitur.

§ 14.

A vera actionum aequalitate, quae praecipue in moderato exercitio corporis, animi affectuum regimine, et victus ſimplicioris vſu poſitum eſt, virium corporis continuatio pendet. Inde enim acquiritur robur, quod cauſis laedentibus diutius reſiſtit. Concitatior vero motus animi et corporis, magis tamen mollis et otioſa vita, cauſas morborum et mortis accelerant.

§. 15.

Haec, quae de vniuerſalibus vitae humanae mutationibus propoſuimus, nunc tantum ab experientia repetuntur, ſuo tempore accuratius demonſtranda. Ex dictis tamen facile colligitur, cur primi terrarum incolae, et omnes, qui nunc ſimplici vitae ratione vtuntur, aegritudinibus non adeo obnoxii ſint, quam qui varia ratione a veris diaetae praeceptis recedunt, et ita corpus magis deſtruunt, quam conſeruant.

§. 16

§. 16.

Sed variae, quae homines affecerunt, iniuriae vitae, aeris circumfusi vicissitudines, victus vel iusto durior, vel mollior, violentae corporum destructiones, aliaeque plures causae, quae vix euitari potuerunt, functiones corporis varia ratione laeserunt, ita, vt homines non sine dolore et incommodo vixerint, ideoque non omnes senio languidi, sed per fortuitos casus prostrati, e viuis decesserint. Hinc causae morborum et mortis magis innotuerunt.

§. 17.

Obseruatum tamen simul est, obortas saepe aegritudines per vires corpori proprias blande dissipatas esse, vel motibus etiam vehementioribus obortis, materiam morbosam commotam, per varias vias ex corpore secessisse, ita, vt febres, haemorrhagiae, vlcera et conuulsiones, causae verae morbosae, saepe tamen etiam sanitatis restitutae exstiterint. Ac haec quidem auxilia vis corporis ipsius praestitit.

§. 18.

Sed cognita sunt simul remedia, eaque varie inuenta, quorum alia instinctus naturae docuit, alia casus fortuitus detexit, alia demum homines ab animalibus brutis didicerunt. Sic lingua sitiens aegri aquam desiderabat, sic aqua sub cute collecta per vulnus emanabat, sic ex vena rupta sanguis effluebat, sic caprae vim purgantem hellebori indicabant.

§. 19.

Ex §. 16 seqq. patet, cognitionem causarum et symptomatum morborum, virium vitae, morbos superantium, et remediorum variorum in morbis appli-

candorum, inter omnes etiam barbaras gentes omni tempore obseruatam fuisse, ideoque ex his vera principia medicinae colligenda esse.

§. 20.

Naturalis haec medicina, per solam experientiam cognita et stabilita, imperfecta tantum rerum noxiarum et salubrium erat notitia, quae, domesticae nostrae medicinae similis, inter plebeios homines dispersa erat; negandum tamen non est, nonnullos ex his attentiores factos hanc cognitionem auxisse. Vt itaque aegri consiliis a rerum peritis iuuari possent, ad vias publicas expositi sunt, et a praetereuntibus remedia morborum acceperunt.

§. 21.

Inter Phoenices, Babylonios, aliasque gentes priscas exigua quaedam initia medicinae, accuratius cultae, historiarum monumenta indicant; inter Aegyptios tamen hanc artem ad maiorem excellentiam accessisse, certum est. Anatomes enim et chemiae cultura et ad medicinam perficiendam applicatio, etsi ex balsamatione corporum, ex victimarum extispiciis, et ex variis metallorum fusionibus euinci haud potest: diaetae tamen et nonnullorum medicamentorum in morbis sanandis obseruatio et applicatio illis denegari nequit, quae omnino praestantiorem quoque morborum cognitionem prodere videntur.

§. 22.

Inter hos etiam medicinae exercitium ad cultum deorum translatum fuit. Sacerdotes enim, vt interpretes diuinorum oraculorum, consilia de sanitate recuperanda exhibebant, qui ideo morborum historias annotabant et colligebant, insomnia aegrotantium ex somno, in fanis deorum capto, attendebant

bant et explicabant, memoriam curationum in tabulis et columnis templorum conseruabant, et similia in similibus morbis commendabant remedia.

§. 23.

Initia tamen medicinae, accuratius tractatae, inter Graecos deprehendimus; hanc enim gens Asclepiadea per plura secula, tanquam per haereditatem acceptam, propagauit et coluit. In diuersis nimirum, quae Aesculapio sacra erant, templis scholas habuerunt, ad quas iis tantum, qui ex ea familia erant, aditus patebat. Cum autem non veris physices principiis insisterent, sed magicis et superstitiosis artibus tantum inhaererent, vera medicinae cognitio exigua cepit incrementa.

§. 24.

Ipsa vero sacerdotum in curandis morbis socordia, itinera a sapientibus instituta, et morbi, ob corruptos hominum mores, frequentiores, in causa fuerunt, vt philosophi medicinam sibi vindicarent. Hi enim, aliarum quoque rerum cognitione occupati, naturae disquisitionem non negligebant, atque ita, si non medicinam ipsam, disciplinas tamen ad eam praeparantes magis coluerunt.

§. 25.

Vti enim hi anatomen animalium ad indagandas corporis viui causas et mutationes tractabant, et praeterea in vires herbarum aliorumque medicamentorum studiosius inquirebant, sic praecipue victus rationem et alia sanitatis conseruandae et restituendae auxilia disquirebant, et de rebus his subtiliter saepe disputabant.

§. 26.

Inter alias vero ſcholas Crotonienſis praecipue cuius auctor PYTHAGORAS eſt, inclaruit. Hic inter Aegyptios diu verſatus, ad diaetae rationem et herbarum virtutes reſpexit, quem etiam ALCMAEON et EMPEDOCLES AGRIGENTINVS maxime ſecuti ſunt, quorum ille anatomen praeſertim coluiſſe dicitur. Huc referri quoque poſſunt initia medicinae gymnaſticae, cuius auctor PRODICVS ſiue HERODICVS fertur.

§. 27.

Poſt tot igitur ſeculorum decurſum, ex vna parte continuata per traditionem empiria, ex altera vero rerum naturae accuratior diſquiſitio, multas ad artem medicam vtiles doctrinas ita illuſtrauerat, vt ſparſa colligi, et in aliquam artis formam redigi potuerint quod quidem HIPPOCRATEM praeſtitiſſe ſcimus.

§. 28.

Ille enim vires, in corporibus animalibus agentes, non tantum in genere perſpexit, ſed etiam cauſarum laedentium effectus ex collectis morborum hiſtoriis definiuit, et nonnullorum medicamentorum praeſtantiam in morbis curandis declarauit ideoque, vt induſtrius in facienda medicina magiſter, ſigna morborum, eorumque euentus, et applicatorum remediorum vires attente annotauit; hinc in libris, qui ſuperſunt, genuinis corpus medicinae veteris tradidit.

§. 29.

In indagandis quidem rerum cauſis, exigua tantum cognitione phyſica inſtructus, veram demonſtrationis vim non ſemper aſſequi potuit, ea tamen, quae ex phaenomenis elucebant, bene ordinauit, et it

expe

experientiam ratione perfecit, omnemque obſcuram et magicam artis tractationem debellauit: eius itaque doctrina, per tot ſeculorum ſeriem conſeruata, adeo pura et vtilis deprehenſa eſt, vt in hunc vsque diem a peritis artis ſalutaris cultoribus magni aeſtimetur et commendetur.

§. 30.

Poſt huius mortem medicina magis magisque exculta, et in diuerſis ſcholis, inprimis Alexandrina, varie tradita eſt. Cum enim alii HIPPOCRATIS doctrinae preſſius inhaererent, alii ab ea variis modis recederent, et nouas medendi rationes eligerent: multae ſectae ortae ſunt, ex quibus praecipue dogmatica, empirica et methodica attendi merentur, quoniam et recentioribus temporibus ſimilem ferme diſſenſum inter medicos animaduertimus.

§. 31.

Dogmatici igitur ſiue rationales medici, HIPPOCRATIS veſtigia prementes, ſanum aeque ac aegrotum hominis ſtatum inueſtigabant, in euidentes porro et abditas morborum cauſas inquirebant, medicamenta tandem et victus rationem examinabant et morbis accommodabant. Praeter HIPPOCRATIS igitur filios, DIOCLES CHARISTIUS, PRAXAGORAS, HEROPHILUS et ERASISTRATUS nominari poſſunt, quamuis vltimi horum peculiares quasdam ſententias aluerint.

§. 32.

Contraria via incedebant Empirici, a PHILINO COO inſtituti, et a SERAPIONE confirmati, qui, diſquiſitionibus rerum phyſicis et inprimis corporum diſſectionibus anatomicis prorſus neglectis, experientiam ſolam collectasque de morborum progreſſu obſerua-

ſeruationes annotabant, in his euidentes tantum morborum cauſas, eorumque per ſenſus cognita ſigna quaerebant, abditas autem res ex analogia ſola diiudicabant, ex quibus patet, eos non nudam empiriam, ſed confirmatis obſeruationibus adiutam medicinam, coluiſſe.

§. 33.

Methodicorum denique auctor ASCLEPIADES PRUSIENSIS, et qui hanc ſectam prae reliquis ſtabiliuerunt, THEMISON et THESSALUS TRALLIANUS, in diſquirendis morborum cauſis fluidorum corporis indagationem, ad quam dogmatici quoque reſpiciebant, prorſus negligebant, ideoque ad communia tantum, in ſolidis partibus corporis conſpicua, phaenomena attendebant, et ſtrictum et laxum, vel intermedium corporis habitum attendentes, omnes eius aegritudines eo referebant, et per obſeruatas mutationes ſolidorum ad cauſas eruendas progrediebantur. Praecipue igitur per vitae, et inprimis victus rationem bene ordinatam, abſtinentiam nimirum cibi vinique, fricationem corporis, ambulationem geſtationemque, curationes morborum efficere tentabant.

§. 34.

Hi omnes, obſeruationum fide ducti, artem medicam exercebant, ſed in cauſarum ſcrutinio ita verſabantur, vt vel in phaenomenis rite diiudicatis ſubſiſterent, vel ad primas, quantum fieri poſſet, cauſas eruendas regrederentur. Nonnulli placita diuerſa medicorum conciliare tentabant, et epiſyntheticam et eclecticam ſectam conſtituebant. Alii, ad ſpiritum corpus dirigentem reſpicientes, pneumaticam quoque ſectam efficiebant, quorum doctrinae rationes ex ſcriptoribus hiſtoriae medicinae repetendae ſunt.

§. 35.

§. 35.

Antequam ad Romanos accedamus, pauca de ſcientiae naturalis cultura, medicinam iuuante, adſpergenda ſunt. Neminem enim latet doctrina ſummi ARISTOTELIS, quam in omni philoſophia oſtendit: nobis tamen ſufficit, ea ſcripta laudare, quae hiſtoriam animalium tradunt, et ſimul THEOPHRASTI ERESII, qui huius doctrinam ſequutus eſt, in hiſtoria plantarum ſuſceptos labores commemorare. Quae omnia, etiamſi ratione noſtrorum temporum obſcura videntur, et incompleta ſunt, fundamenta tamen doctrinae, vlterius illuſtrandae, et ad medicinam quoque applicandae continent.

§. 36.

Inter Romanos eodem modo, vt inter reliquos populos, medicinae prima initia mere empirica erant, et cognitione nonnullorum medicamentorum domeſticorum abſoluebantur; Aeſculapii tamen ſigno eo perducto, Graecorum quoque medicina, anno ante Chriſtum natum CCXCI eo inuecta, a ſacerdotibus primo vt religionis pars culta, poſtea vero a ſuperſtitioſa tractandi ratione liberata eſt, cum et alii Graeci medici et philoſophi admitterentur. Quanquam autem ſerui, ad balnea et inunctiones adhibiti, artem medicam exercere videbantur, veri tamen medici, inprimis ſub imperatoribus, priuilegiis et honoribus ornati ſunt, id quod non tantum AURELII CORNELII CELSI, ſed etiam SCRIBONII LARGI et CAELII AURELIANI libri, ad rem medicam pertinentes, demonſtrant.

§. 37.

Poſt Chriſtum natum ſcientia naturalis vniuerſa non tanto ſtudio, quanto ipſa medicina, culta eſt; commemo-

memorandi tamen ſunt CAIUS PLINIUS SECUNDUS et DIOSCORIDES, quorum ille in libris de hiſtoria naturali, hic in libris de materia medica, multa, quae vires corporum naturalium declarant, collegerunt. Etſi vero in diſquiſitione rerum naturalium ex cauſis ſuis non occupati fuerunt, ſed potius, vt compilatores, varia notatu digna, neque ſemper vera contulerunt: ea tamen negligere non poſſumus, cum eorum ſcripta recentioribus temporibus, vt fundamenta doctrinae vlterius illuſtrandae, adhibita ſint.

§. 38.

Diſſenſum medicorum veterum §. 30 ſeqq. componere, et HIPPOCRATIS medicinam reparare tentauit CLAUDIUS GALENUS. Hic enim, praeterquam quod diſputando dogmata diuerſa medicorum examinauit, et partim explicauit, partim refutauit, praecipue diſquiſitionem corporum anatomicam, vt verum doctrinae medicae fundamentum ita reſtituit et auxit, vt actionum corporis ſani conſiderationem inde repeteret. Inprimis in HIPPOCRATIS libros commentatus eſt, et rerum naturalium agendi modum ex primis eorum elementis et facultatibus illuſtrare tentauit.

§. 39.

Ob hos itaque labores, magno cum ſtudio ſuſceptos et praeſtitos, magni medici nomen omnino promeruit: inde factum eſt, vt alii, de incremento artis medicae ſolliciti viri, eius dogmata amplecterentur, porro declararent, et methodum doctrinae ſequentes, de morborum cauſis et remediis diligenter agerent, id quod ORIBASII, AETII AMIDENI, ALEXANDRI TRALLIANI, et PAULI AEGINETAE libri de rebus medicis indicant.

§. 40

§. 40.

Non quidem negandum eſt, veteres hos medicos obſcuram tantum notionem elementorum et qualitatum corporum, nec non aliarum rationum, ad explicandam rerum naturam pertinentium, habuiſſe, cum primae rerum cauſae, ob fabricam et mixtionem minutiſſimarum partium, nunquam euidentes ſint. Hi tamen labores, vt nunc, ſic antehac ad accuratiorem phaenomenorum conſiderationem ducunt, et egregiis ſcientiae incrementis anſam praebent.

§. 41.

Ex iis igitur, quae de medicinae initiis, per tot ſeculorum decurſum cultis, auctis et illuſtratis breuiter propoſuimus, abunde patet, quantum illi errent, qui cuncta veterum ſcripta ſpernunt, et in quam iuſtam reprehenſionem hi incurrant, qui in priſcorum ſcriptis omnem hodiernae ſcientiae medicae praeſtantiam inueniri credunt. Aequi rerum aeſtimatores ex omnibus praeſtantiſſima ſeligunt, et ita doctrinae medicae rationem perficiunt.

§. 42.

Cum autem continua bella, quae Europam agitabant, et in Italia potiſſimum gerebantur, quietem amantes literas turbarent, ideoque omnis ſcientiae culturam ſenſim paulatimque ſupprimerent, triſte hoc fatum etiam ars medica ſubiit. Vti vero rerum philoſophicarum ſtudium ſub finem ſeculi VIII apud Arabes non prorſus friguit, ſic et medicina ab illis hoſpitio excepta, et a barbaris his gentibus liberaliter admodum culta eſt.

§. 43.

§. 43.

Addicti nempe ARISTOTELIS philosophiae Arabes, explicatum a GALENO HIPPOCRATEM in medicis doctrinis sequebantur, eumque interpretatione et variis inuentis adaugere tentabant. Inclaruerunt itaque potissimum RHASES, SERAPION, AVICENNA, MESUE, AVENZOAR, AVERRHOES et alii, ex quorum tamen scriptis, postea in latinam linguam translatis, parum incrementi cepit medicina instauranda, multo minus sperandum est, accuratiores quoque versiones maiorem lucem iis accendere posse.

§. 44.

Praeterquam enim, quod non raro male intellectus ab iis est GALENUS, ideoque etiam male explicatus, inanibus saepe controuersiis occasio dabatur, et ex anatomiae et chirurgiae neglectu omnino detrimentum capiebat medicina. Aucta quidem est multitudine remediorum, nec non variis eorundem praeparationibus, sed inde etiam nimia rerum farrago, earumque inepta saepius commistio, veram medendi rationem turbabat.

§. 45.

In tanto literarum per vniuersam Europam neglectu, vsque ad finem seculi XI nihil ferme praestitum fuit, quod medicinam illustraret, eamque ex veterum doctrinis restitueret; et quanquam conseruata ab Arabibus medicina sub finem dicti seculi in schola Salernitana, a CONSTANTINO AFRICANO condita, iterum colebatur, in versionibus tamen et commentariis Arabum maximam partem acquiescebant medici latino-barbari dicti.

§. 46

§. 46.

Non reticenda tamen ſunt quaedam medicorum conamina, quae animos ſenſim ad euidentiorem doctrinae medicae lucem praepararunt. GARIOPONTUS, neglectis GALENI dogmatibus, methodicorum ſectam profeſſus eſt. Pharmaceuticas praecipue diſciplinas per chemiae culturam declarare annitebantur GUILIELMUS DE SALICETO, ARNOLDUS VILLANOVANUS, ROGERIUS BACO, GILBERTUS ANGLUS et HIERONYMUS BRUNSUICENSIS. MUNDINUS quoque anatomen, ſuſcepta corporum diſſectione, reſtituere tentauit, quem IACOBUS BERENGARIUS CARPUS ſequutus eſt. Praeter hos etiam IOH. DE MEDIOLANO, IOH. PLATEARIUS, MATTHAEUS SYLVATICUS, GUIDO DE CAULIACO, et VALESCUS DE TARANTA varias doctrinae medicae partes declarare aggreſſi ſunt.

§. 47.

Seculo XV demum humaniores litterae, in Italia denuo reſtitutae, vniuerſam Europam ſenſim praeſtantiori doctrina illuſtrarunt, et ex iis noua vis medicinae quoque acceſſit, quod ſcripta veterum, in quibus vera artis ſalutaris ratio continebatur, verae eruditionis cultoribus iterum reddebantur, et aliae doctrinae, quae eandem iuuant, magis magisque colebantur, cui quidem rei inuenta ars typographica multum profuit.

§. 48.

Ex iis itaque, qui, neglectis Arabum et medicorum latino - barbarorum ſcriptis, doctrinam Graecorum et tradiderunt, et ſuo modo amplificarunt, praecipue nominari merentur NICOLAUS LEONICENUS, HERMOLAUS BARBARUS, HIERO-

NYMUS FRACASTORIUS, VICTOR TRINCIAVELLA. Hos vero sequenti seculo XVI sequuti sunt IACOBUS HOLLERIUS, LUDOVICUS DURETUS, ANUTIUS FOESIUS, HIERONYMUS MERCURIALIS, IOHANNES ARGENTERIUS et IANUS CORNARIUS, qui omnes animos ad vlteriorem studii medici tractationem excitarunt.

§. 49.

Longe praestantiora tamen medicina ex his laboribus cepisset incrementa, nisi noua THEOPHRASTI PARACELSI doctrina falsas opiniones introduxisset. Hic enim Hippocraticam et Galenicam medendi rationem, vix restitutam, reiiciebat, et, neglecta omni anatomica corporum consideratione, in remediis, iisque arcanis, solam artis medicae praestantiam quaerebat, et chemicae siue hermeticae sectae auctor erat.

§. 50.

Varia tamen capita medicinae ex chemicis doctrinis, maiori cum studio cultis, illustrata sunt: quae doctrinae etsi ad corporis viui actiones et caussas morborum declarandas saepe minus apte adhibebantur, accuratius tamen corporum naturalium examen, et vires remediorum inuestigandi ratio, nec non medicamentorum perfectior elaboratio illis laboribus debetur, et longe melior fuisset, si obscuritas orationis vitari potuisset.

§. 51.

Nonnulli itaque medici, vera doctrina physica instructi, inter hos praecipue DANIEL SENNERTUS, motas inter Galenicos et Hermeticos medicos controuersias compositurі, egregie declararunt, in explicandis corporis viui actionibus ad mechanismi

nismi et mixtionis rationem aequali modo respiciendum, et medendi methodum vtrisque principiis accommodandam esse.

§. 52.

Seculo igitur XVII res medica, multis inuentis, inprimis circuitu sanguinis a GUILIELM. HARVAEO accuratius declarato, aucta, in variis Europae academiis a praestantissimis doctoribus magna cum cura tradita est. Accuratior nempe corporum naturalium inuestigatio, ratione fabricae per anatomen, ratione mixtionis per chemiam declarata, et prudens philosophiae in diiudicandis phaenomenis vsus, in docenda et facienda medicina praestantiorem normam praescripserunt, ad quam vlterior studii cultura dirigi potest.

§. 53.

In diuersa tamen studiorum ratione dissensus medicorum vix euitari potuit: alii, philosophia corpusculari decepti, non tantum mechanismum in solidis partibus stabilire, sed et ad fluida ipsa applicare annisi sunt: alii, neglecto mechanismo, ad principia mixti tantum respexerunt, et, quae ex vtroque principio declaranda essent, ex vno aut altero sigillatim definire susceperunt: alii tandem, cum nec in vno, nec in altero mouendi vim inuenire potuissent, ad animam rationalem aliaque obscura principia delapsi, et hypotheticis explicationibus vsi sunt.

§. 54.

Tanto doctorum dissensu saepius confunduntur discentes, et vera ratio naturam corporum cognoscendi et diiudicandi, quae ex principiis physicis, anatomicis et chemicis coniunctim eruenda esset, ex vna alteraque parte cogitur. Ad caussas vero primas non semper redeundum, sed, veris phaenome-

nis collectis, experientiam per rationem perficiendam, et ad medicinam faciendam applicandam esse, cordatiores medici praecipiunt.

§. 55.

Sub finem seculi superioris varii eruditi, inprimis naturalem historiam et scientiam colentes, in societates coierunt, quae postea, a summis imperantibus nutritae, vt reliquas ad physicam spectantes disciplinas, sic praecipue medicinam suis inuentis illustrarunt. Accesserunt aliae academiae, in similes labores intentae, quarum opera futuris temporibus res physico medicae excellentiora incrementa capere possunt.

§. 56.

Nunc quidem, quae in singulis medicinae partibus recentioribus his temporibus acta sunt, plenius enumerari possent, quo inde rationem inuentorum et applicationem ad varia medicinae systemata declararemus. Cum vero de singularibus inuentis in speciali disciplinarum disquisitione rectius agatur, et ea, quae proposuimus, ad definitionem et veram ideam studii medici eruendam sufficiant, in his acquiescere possumus.

CAPVT

CAPVT II.

DEFINITIO MEDICINAE.

§. 57.

A fine, quem in artis medicae exercitio medentes assequi cupiunt, Medicina cognitio remediorum, quibus morbis medemur, dici potest. Cum tamen ex antecedenti capite perspexerimus, ab orbe condito vsque ad nostra tempora hanc cognitionem variis modis applicatam et cultam, interdum vulgarem, interdum ex physicis principiis deductam fuisse, eam in naturalem et artificialem distingui posse cognoscimus.

§. 58.

Naturalis itaque medicina omnem medelam, vel per ipsas corporis actiones intentiores et remissiores, §. 17, hoc est, per corporis mechanismum, vel per remedia, ex instinctu naturali et casu fortuito applicata §. 18, aegris praestitam, complectitur. Haec itaque ex sola obseruatione euentuum enata, aucta, et per traditionem continuata est.

§. 59.

Artificialis vero medicina, in caussas actionum corporis mutatarum inquirendo, sanitatis et morbi phaenomena distinguit, inter se comparat, et simili ratione praesidia sanitatis conseruandae et restituendae ex principiis logicis et physico mathematicis diiudicat et ordinat. Illa itaque empirica §. 58, haec rationalis dici posset.

§. 60.

Vti vero naturalis illa et empirica medendi ratio ab initio sola fuit, sic ea, post artificialem seu rationalem vario gradu stabilitam, in medicina dome-

ſtica omnium populorum,vt olim,ſic nunc quoque ſubſtitit. Cum etiam boni medici, qui rationalem medicinam exercent, quid natura ſola in aegro praeſtet, quid remedia efficiant, attendant, naturalis certe medicina etiam ab iis, vt primum fundamentum omnium obſeruationum, in morbis curandis aſſumitur.

§. 61.

Ex ſimplici autem cognitione rerum, quae ſanitatem conſeruabant, et ad eam reſtituendam faciebant, ſubinde nata eſt artificialis, quae ante HIPPOCRATEM iam culta, ab eo demum in artis formam redacta fuit, cum in ſtudioſa obſeruatione progreſſus morborum ab effectibus ad cauſſas ducerentur medentes, qui ſigna morbi, poſt applicationem remedii perſiſtentis, mutati et ſublati attendebant, limitesque ſanationis poſſibilis definiebant.

§. 62.

HIPPOCRATES igitur et alii medici veteres, qui ad rationalem medicinam colendam adſpirabant, non vaga quaedam conſilia, et medicamenta vtcunque cognita exhibebant, ſed haec per repetitam obſeruationem probata ad diſquiſitam aegri et morbi ipſius naturam accommodabant. Sic enim ſola experientia erat initium et verum fundamentum medicinae, iudicium vero exercitatum, ad cauſſas reſpiciens, experientiam, ſemel iterumque confirmatam, ad futuros euentus dirigebat, et ita conſilia ſalutaria proponebat.

§. 63.

Latius tamen noſtris temporibus ſcientiae medicae limites extenduntur, cum non tantum mutationes corporum omnium naturalium ex principiis phyſicis generalibus repetantur, ſed fabrica corporis animalis in ſolidis, mixtio in humoribus, ex anatomia

tomia et chemia declarentur. Ex his itaque cognitionis principiis actiones corporis humani viui, et sani, et aegri, definiuntur, porro corporum naturalium, alendi, nocendi et medendi vi praeditorum, efficacia explicatur, et tandem omnis scientiae vis ad conseruationem corporis et morbos tollendos refertur.

§. 64.

Omne hoc officium medici in duas quasi partes diuiditur. Ille enim, vt physicus, in indaganda corporum natura sollicite versatur, et, vt practicus, de conseruanda et restituenda sanitate saluberrima consilia exhibet. Ad hoc tamen posterius officium viam pandit prius: quomodo enim, in medicina facienda constitutus, corporum naturalium vires et effectus regere posset, nisi, vt physicus, rationem mutationum bene considerasset?

§. 65.

Liceat itaque nunc eam medicinae definitionem praemittere, quae amplissimis doctrinae limitibus accommodata est. Erit ideo medicina scientia eorum, quae in homine fiunt. Haec autem definitio, non nisi praemissa explicatione vberiori, intelligi poterit, ex qua etiam methodum doctrinae medicae generatim eruere tentabimus, antequam ad specialem tractationem progrediamur.

§. 66.

Ex dictis patet, medicinam quoque physicam, seu scientiam naturalem hominis dici posse: qui enim vitam hominis, quatenus in actionibus physicis vniuersis posita est, considerat, is non tantum cognoscit omnes mutationes, quae per corpus humanum in se consideratum eueniunt, sed, cum hoc consiliis

ſuis tueri debeat, eas quoque mutationes, quae per alia corpora, in humanum agentia, effici ſolent.

§. 67.

Scientiam dicimus medicinam, quatenus omnia, quae in ea declarantur, ex certis principiis deduci, et accurato ordine tradi debent: cum vero ad hanc praeſtantiam non ſemper accedat, ſaepe dicitur ars, quatenus cognitionem eorum, quae corpori applicantur, experientia ſola et obſeruationibus ſuffultam, exhibet. Haec memoriam tantum, illa vero iudicium aptum requirit. Patet itaque, medicum in facienda medicina artem tantum exercere, quam tamen per ſcientiam acquiſitam omni modo perfectiorem reddere ſtudet.

§. 68.

De homine tantum agit medicina, quoniam vitae eius conſeruatio a medicorum cura et conſiliis pendet. Nam etſi animalium reliquorum fabrica, et inde pendentes actiones, ad hominis ſimilitudinem accedunt, ideoque ſimili ratione diiudicari, atque de eorum conſeruatione et cura cogitari poteſt, et debet: hippiatris tamen et aliis haec cura relinquitur, qui nimirum principia doctrinae medicae generalia ad inueſtigationem et curationem ſingulorum morborum animalium transferunt.

§. 69.

Hominem totum in definitione nominauimus, ideoque etiam ad animi operationes reſpiciendum eſſe arbitramur. Difficillima haec doctrina a philoſophis tantis controuerſiis agitata eſt, vt hypotheſes, hunc in finem excogitatae, ſaepe magis confundant, quam inſtruant. Cum vero operationes animi corpus varie mutent, eas ſine attentione non poteſt dimittere medicus, qui potius effectus earundem in

corpus

corpus bene obſeruare, et in his dirigendis ſummo ſtudio verſari debet.

§. 70.

In hac autem re ad ſubtiles explicationes non progrediatur, ſed pſychologiam empiricam tantum ſtudioſe tractet, et ex ea non tantum in cognoſcenda medicina conſectaria eliciat, ſed eandem quoque variis obſeruationibus illuſtret. Cum autem, non niſi corporeis auxiliis, in corpus humanum agere poſſit, cauſſis primis ſaepe neglectis, corporeas mutationes tantum attendat, et ex cognita ſolidorum fabrica et fluidorum mixtione actiones, quantum fieri poteſt, explicare conetur.

§. 71.

Multa praeterea in vita communi per corpus humanum fiunt, v. c. actiones morales et publicae, quae in conſortio hominum requiruntur, vitaeque felicitatem et commoda efficiunt. Sed hae etiam duplici ratione ad medicum pertinent: ex vna enim parte, vt phyſicus, declarat, quomodo per machinam corpoream perficiantur: ex altera vero, vt practicus, conſiderat, qua ratione illae ſuſceptae et in ſanitate conſeruanda, et in cauſſis morborum coercendis, morbisque ipſis abigendis moderandae ſint.

§. 72.

Quod ſi igitur ſuccinctam medicinae definitionem §. 65. fuſius declarare, et ex ſubiuncta explicatione repetere vellemus, medicina dicenda eſſet ſcientia eorum omnium, quae per corpus humanum eueniunt, hoc eſt, actionum, quae per eius compoſitionem in ſolidis et fluidis partibus declarari poſſunt, adiuncta ſimul eorum corporum cognitione, quorum applicatorum vi in corpore humano mutationes producuntur, quo et ſanitatis et morborum ra-

 tio

tio inde cognoſcatur, et apta remedia morborum cauendorum et abigendorum inueniantur.

§. 73.

Scientiae medicae limites itaque ampliſſime extendimus, quamquam plane praeuidemus, neminem fore, qui ad perfectam cognitionem, ex primis vbique principiis deductam, perueniat. Euenta, ab anteceſſoribus experiendo collecta, et concluſiones, ab optimis doctoribus declaratae, multis ad finem vltimum medicinae attingendum ſufficiunt, et ſufficere omnino poſſunt, dummodo vera iudicii vi ad occurrentes corporum mutationes applicentur.

§. 74.

Licet vero omnia, quae a nobis in hoc libello pertractanda ſunt, ad declarandam methodum doctrinae medicae tendant, ideoque etiam diuerſi gradus cognitionis in variis medicis examinandi et definiendi ſint, quo finis doctrinae ſolidioris vnita plurium opera demum attingatur: placet tamen, et hic ſtudiorum rationem in vniuerſum delineare, vt, dum ad diſciplinarum medicarum diſpoſitionem, et ſyſtematis totius adumbrationem accedimus, attentio ad ſingula capita magis feratur.

§. 75.

Diſcens nimirum ad normam ſyſtematis, quod doctor multo ſtudio ſtabiliuit, et in ſcholis declarauit, omnes eius partes percurrat, easque et nexas inuicem et ſeparatim examinet, ideoque primum ordinem rerum addiſcendarum bene cognoſcat, porro eas concluſiones, quae medendi methodum illuſtrant, bene annotet et colligat, quo ad medendi artem deducatur.

§. 76.

§. 76.

Doctor autem in rebus proponendis ordinem doctrinae bene expendat, et ea, quae obſeruatione ipſa per experientiam repetitam cognita ſunt, aeque ac illa, quae concludendo inde deducuntur, prae reliquis proponat, cum certiora ſint, quam quae ex hypotheſibus deriuantur. Nonnunquam tamen et has, quatenus phaenomenis reſpondent, adſpergat, et vlteriori diſquiſitioni commendet.

§. 77.

In his vero dubiis rebus vlterius confirmandis illi ſe exerceant, qui per tentamina phyſico-anatomico-chemica ſingulares doctrinae medicae partes magis illuſtrare ſuſcipiunt, et illis, qui nexum vniuerſae doctrinae diſponere, et ſyſtemata ſtabilire tentant, hac ſua opera viam quaſi ad vlteriorem ſtudii perfectionem pandant, quo demum augmenta acquiſita ad diſcendum et faciendum conuerti poſſint.

§. 78.

Non minus vero et illi, qui primas tantum doctrinae lineas, ad artem faciendam ſumme neceſſarias, duxerunt, de augenda cognitione ita ſolliciti ſint, vt concluſiones iterata experientia certiores reddant, ideoque ſcripta praeſtantiſſimorum medicorum conſulant, ex his noua ſemper inuenta eliciant, et addant, eaque ſedulo ad vltimum medicinae finem dirigant.

§. 79.

In medicina colenda interdum hypotheſibus vtendum eſſe diximus, §. 76. eae vero ſimili cura ad phaenomena occurrentia ſemper exigendae ſunt, id quod, non tantum actionum vniuerſalium, in corpore ſano et aegro peractarum, ratione bene inter ſe comparata, ſed etiam auxiliis applicatis, et caute tenta-

tentatis, perficitur. Cauendum tamen eſt, ne iis, vt principiis certis, inſiſtamus, atque ita in iudicando fallamur.

§. 80.

Doctor vero, antequam id officium ſibi ſumit, omnes medicinae partes denuo expendat, et corporum naturam et mutationes, a compoſitis ad ſimpliciſſima progrediendo, euoluat, et denuo a ſimpliciſſimis ad magis compoſita regrediatur. Qua in re in clariſſimorum virorum ſcriptis haud contemnenda inueniet adminicula, quibus inſtructus ad perfectiſſimam, quae nobis data eſt, accedere poterit artis medicae ſcientiam.

§. 81.

Haec ex definitione medicinae breuiter deducta nunc ſufficiant, fuſius in altera doctrinae noſtrae parte declaranda. Nunc potius ad ſyſtematis medicinae delineationem accedimus, quam ex rebus, in quibus medicina verſatur, adumbramus, et ſingularum diſciplinarum rationem poſtea plenius proponimus.

CAPVT III.

RES IN QVIBVS MEDICINA VERSATVR.

§. 82.

Si ad vltimum tantum, quem medicus ſibi proponit, finem reſpicere vellemus, omnem medicinam in Hygienen et Therapiam diſtinguere poſſemus; illa enim praecepta conſeruandae ſanitatis, haec vero curationis morborum diſquireret. Hac

ratione

ratione medicinae vniuerſae compendium conſilia de tuenda et reſtituenda ſanitate traderet.

§. 83.

Quoniam vero ex praeceptis his vniuerſis conſilia non deduci, nec ſuo quaeque tempore et loco applicari poſſent, niſi hominis ſani et aegri conſideratio ſuſciperetur, niſi cauſſarum et effectuum, ſanitatem et morbum continentium, ratio perpenderetur, niſi ex his ſigna, quibus duplex ille hominis viui ſtatus definitur, elicerentur, ſyſtematis medicinae limites amplius extendendi ſunt.

§. 84.

Duplex igitur hominis viui ſtatus, et vis remediorum, ad ſanitatem tuendam et reſtituendam facientium, tria potiſſimum conſideranda ſiſtit: 1) corpus ſanum, 2) corpus aegrum, 3) mutationem corporis aegri in ſanum. Haec qui perpendit, facile perſpiciet, omnem medicinae cognitionem tribus diſciplinis generalibus abſolui, Phyſiologia, Pathologia, Therapia.

§. 85.

SENNERTUS * et poſt eum BOERHAAVIUS ** quinque partes medicinae conſtituerunt, et praecedentibus Semioticam et Hygienen addiderunt. Sed prior, quae ſigna corporis ſani et aegri tradit, partim ad Phyſiologiam, partim ad Pathologiam referenda erit; altera, quae ſanitatis praeſidia tradit, in conſeruanda ſanitate et morbo tollendo adhibenda eſt, ideoque praecipue quidem ad Phyſiologiam, aliqua tamen ratione ad Therapiam pertinet.

* In Epitome Inſtit. Med. Lib. I. cap. 2.

** In Inſtitut. Med. §. 33. ſeqq.

§. 86.

§. 86.

Continentur itaque in his disciplinis, si vel separatim proponuntur, vel alia ratione inter se copulantur, * fundamenta doctrinae medicae, in institutionibus medicinae vniuersae a variis auctoribus varie proposita. Rerum vero omnium ignarus in his addiscendis versari non posset, nisi aliae, quae ad medicinam pressius ducunt, disciplinae praemitterentur, quas ipsas tamen nemo tractare poterit, nisi qui eruditionis vniuersae principia cognouit.

* Vid. IOH. DE GORTER Medicinae Compendium Lugd. Bat. 4to. Vol. I. 1731. Vol. II. 1737.

§. 87.

Corporum naturalium, humani praecipue, quae obiecta medicinae dici possunt, compositio, hoc est, fabrica solidarum, et mixtio solidarum et fluidarum partium, examinanda est. Anatome igitur et Chemia, quae corporum compositiones in texto et mixto euoluunt, viam ad earundem naturam indagandam et declarandam ostendunt. Inde quoque progredietur ad physicam generalem, quae phaenomenis et tentaminibus naturam corporum in vniuersum declarat.

§. 88.

Quoniam autem corpora humana per alia animalia et vegetabilia nutriuntur, et, si interea partes corporis humani a quibusdam corporibus laesae et labefactatae sint, per alia corpora applicata corrigi possunt, alimentorum, venenorum et medicamentorum indoles et efficacia quoque declarari debent, quod quidem historicam et physicam corporum naturalium cognitionem exigit. Haec cum nimis ampla sit, in diaetetica alimentorum, in materia medica reliquo-

rum

rum selectus proponitur, cui praeparationis pharmaceuticae ratio iungitur.

§. 89.

Cum vero fontes omnis doctrinae in libris, vario idiomate euulgatis, inueniantur; cum inuenta in his proposita, vel alia, quae naturae contemplatio offert, phaenomena bene ordinanda et diiudicanda sint; cum haec ad varia tempora medicinae cultae accommodanda sint: quilibet, qui in medicina addiscenda et colenda accuratius versari cupit, humaniores literas et philosophiam, omnesque cum his coniunctas disciplinas sedulo tractet, ne ei adminicula verae eruditionis desint.

§. 90.

Etsi autem medicus, his adminiculis adiutus, omnem doctrinae medicae ambitum recte emensus est, ad faciendam tamen medicinam se conferre nequit, nisi habitum quendam acquisiuerit, dispersas has doctrinas colligendi, et pro ratione rerum diiudicandarum ad vnum finem dirigendi. Specimina haec medicinae applicatae exhibet praxis clinica, chirurgica ac forensis, quae sparsas propositiones, in theoreticis disciplinis explicatas, ita cogit et ordinat, vt ad singulares caussas referri, et fundamenta consiliorum medicorum esse possint.

§. 91.

Tanta vero rerum copia, in quibus medicina versatur, non arbitrario ordine tractanda est, sed methodus doctrinae exigit, vt alia praemittantur, alia subiungantur. Quem ad modum enim medicina practica theoreticam praemitti vult, sic theoretica aliis disciplinis innititur, quae naturam et compositio-

ſitionem corporum docent, et totius eruditionis adminicula tradunt. Vera haec ſubordinatio diſciplinarum pertractandarum ſyſtema vniuerſae medicinae ſiſtit.

§. 92.

Cum vero hoc ſyſtema omnes et ſingulas diſciplinas legitimo ordine et nexu declarare debeat, quo doctrinae noſtrae alumni normam habeant, ad quam ſua ſtudia accommodare poſſint, ideoque in eo perueſtigando omni cum cura verſari debeant, non incongruum erit, ideam tabula ſynoptica adumbrare.

TABVLA SYNOPTICA MEDICINAE.

I. Praemittenda generalia.
  1. Studium linguarum
    a) Veterum: graecae, latinae, arabicae.
    b) Recentiorum: gallicae, anglicae, italicae cet.
  2. Hiſtoria literaria, inprimis medicinae.
  3. Philoſophia vniuerſa, inprimis logica et metaphyſica.
  4. Matheſis pura et quaedam partes mixtae.
  5. Phyſica generalis experimentis declarata.

II. Praemittenda ſpecialia.
  1. Hiſtoria naturalis.
    a) Botanica
    b) Zoologia.
    c) Mineralogia.
  2. Anatome corporis humani ſani et aegri et comparatio animalium brutorum.
  3. Chemia et generalis et ſpecialis ad partes medicinae applicata.
  4. Materia medica generalis ſiue cognitio medicamentorum

a) Sim-

a. ſimplicium, materia medica ſtricte ſic dicta.
b. praeparatorum, ſiue pharmacia.
c. compoſitorum, formulare et diſpenſatorium.

III. Medicina theoretica.
1. Phyſiologia, ſiue conſideratio corporis ſani.
a. in actionibus vniuerſalibus, quae in vniuerſo corpore eueniunt.
b. in actionibus particularibus, quae per definita organa fiunt.
c in ſemiotica corporis ſani, quae ſigna ſanitatis generalia et ſpecialia tradit.
d. in diaetetica, quae regulas conſeruandae ſanitatis exhibet.
2. Pathologia, ſiue conſideratio corporis aegri.
a. noſologia, quae de differentiis morborum exponit.
b. aetiologia, quae cauſſas morborum disquirit.
c. ſymptomatologia, quae effectus ſiue ſymptomata morborum expendit.
d. ſemiotica pathologica, quae ſigna morborum tradit.
3. Therapia, quae methodum medendi ſiſtit in indicatione
a. vitali ſiue conſeruatoria.
b. prophylactica ſiue praeſeruatoria.
c. therapeutica ſiue curatoria.
d. ſymptomatica ſiue palliatiua.

IV. Medicina practica.
1. clinica, quae internas curationes tradit.
2. chirurgica, quae externis morbis et manu potiſſimum medetur.
3. forenſis, quae caſus medico legales conſiderat.
4. caſuiſtica ſiue conſultatoria, quae rariores morbos et difficiles quaeſtiones declarat.

CAPVT IV.

DISCIPLINAE AD MEDICINAM PERTINENTES.

§. 93.

Quem in tabula adumbrauimus vniuerſae doctrinae medicae conſpectum, eum nunc fuſius declarabimus. Dicimus autem praemittenda generalia eas diſciplinas, quae ad humaniores literas et philoſophiam pertinent, quibus cum nullus eruditus carere poſſit, etiam medicus inſtructus eſſe debet. Specialia autem praemittenda ſunt ea, quae diſquiſitionem hiſtorico phyſicam corporum naturalium continent, et a variis quidem rerum naturalium indagatoribus tractari, a medico tamen nunquam negligi poſſunt.

§. 94.

Linguarum cognitio primum acquirenda eſt: haec tamen non tantum ad vocabula artis declaranda ſufficiat, ſed omnino eo eniti debet, vt genius linguarum ſentiatur, resque propoſitae recte intelligantur. Hiſtoria poſtmodum rerum actarum nos in harum pleniori indagatione inſtruit. His ſubiungendum eſt verum philoſophiae ſtudium, in rerum conſideratione occupatum, quod idearum euolutionem dirigit, primas rerum proprietates dilucidat, et vitae rationes definit. Tandem mathematico phyſica corporum diſquiſitio in vniuerſum ſuſcipienda eſt. Haec ſigillatim nunc perpendamus.

§. 95.

Graecae linguae cognitio medicis inprimis neceſſaria eſt, quoniam inter Graecos medicina praecipue culta eſt. §. 23. ſeqq. Vocabula artis quoque ex his fontibus repetenda, et definitionibus nomi-

nali-

nalibus explicanda ſunt. Multa quidem vocabula graecae originis naturae rerum reſpondent, tamen et alia obſcura et ambigua deprehendimus, quae, vtpote vſu recepta, non prorſus praetermittenda, ſed ſuo modo definienda ſunt.

§. 96.

Amplior vero huius linguae cognitio, quae ſtudia vniuerſa iuuat, etiam ab iis medicis quaerenda eſt, qui hiſtoriam medicinae ab initiis repetere, veterum dogmata cum recentioribus libris conferre, et ita rationem ſtudii vniuerſi accuratius ſtabilire volunt. Niſi enim hi genium linguae et varias dialectos accuratius intelligant, quid in veteribus probatum, quid vtile ſit, ab obſcura explicatione non ſatis diſtinguere poſſunt.

§. 97.

Linguam latinam, quae omnibus eruditis communis eſt, a medicis etiam addiſci debere, omnes conſentiunt. Iam vero etiamſi, ob recentiorum inuenta, vocabula artis, barbara forte, dummodo idonea ſunt, non reiici poſſunt: etiamſi porro verba, latina quidem, ſed quorum ſignificatio a vulgari conſuetudine linguae ad ſignificationem ſcholae inflexa eſt, et ſaepe quidem ſecundum rei naturam, admittenda ſunt: puritas tamen linguae Romanae a ſcriptis medicis non prorſus abeſſe poteſt.

§. 98.

Nec eſt vlla lingua docendo accommodatior. Praeter medicos enim veteres latinos §. 35. inſtauratores bonarum literarum, ideoque et medicinae, hac vſi ſunt, quorum veſtigiis inſtiterunt medici huius et ſuperioris ſeculi, inprimis illi, qui fundamenta doctrinae ſolidioris ſtruunt, et inuenta medica non

tantum cum ciuibus ſuis, ſed etiam cum exteris eruditis communicant.

§. 99.

Hinc colligimus, latina quoque lingua in addiſcenda medicina vtendum eſſe. Cum enim tirones medici eandem ſibi familiarem reddunt, non tantum facilius ad veros doctrinae fontes ducuntur, ſed ita ſe exercent, vt aduerſaria ſua hoc etiam idiomate conſcribant, et, ſi ad eam doctrinae praeſtantiam accedant, vt ſcriptis vtiles eſſe poſſint, vera ſcribendi ratione vtantur. Cognoſcitur inde, quanto cum ſtudii noſtri damno cultura linguae latinae in variis Europae academiis negligatur, vernacula vbique inducta.

§. 100.

Et Arabes medicinam coluiſſe diximus §. 42. ſeqq. quorum lingua cum a genio linguarum occidentalium adeo remota, ideoque difficilis ſit, eius cultura medicis vix iniungi poterit: ſi vero medicus, egregia doctrina medica imbutus, et linguae arabicae gnarus, libros Arabum attente perluſtraret, et ſelectas quasdam res vtiliter explicaret, rem faceret laude digniſſimam, quanquam ex tanta rerum propoſitarum farragine optima ſeligere arduus labor foret.

§. 101.

Cultura medicinae, in variis Europae prouinciis hoc potiſſimum ſeculo continuata, libros haud paucos variis linguis ſcriptos protulit, ex quibus certe gallici et anglici prae reliquis attendendi ſunt. Cum itaque verſiones non ſemper verum ſenſum aſſequantur, ſed obſcuritatis et errorum cauſſae ſint, medici, qui exterorum inuentis cum fructu vti cupiunt, ad has linguas accuratius diſcendas omnino cohortandi ſunt.

§. 102

§. 102.

Etiam Itali, qui antehac latinam linguam in libris ſuis non negligebant, nunc crebrius patrio idiomate vtuntur, et reliqui eruditi in Belgio, Suecia et Dania eandem conſuetudinem ſequuntur, vt ii, qui inuenta recentiorum colligere ſuſcipiunt, et ineptas ſaepe verſiones merito contemnunt, multum temporis in his linguis terere cogantur, ideoque ab ipſa ſtudii cultura ſaepe diutius detineantur.

§. 103.

Vt vero ii, qui dogmata medicinae diiudicant, et ſyſtema ſtruere volunt, taedioſum hunc et difficilem laborem linguarum diſcendarum negligere haud poſſunt, ita illi, qui ad finem vltimum medicinae tantum tendunt, et morborum curationes ſpectant, in libris latinis idoneam inſtitutionem inuenient, ad quam et methodum medendi regere, experientias ſuas cum aliorum inuentis conferre, nec non aliquid addere poſſint. Falluntur tamen quam maxime et exteri et noſtri, ſi ex ſolis libris, patrio idiomate ſcriptis, omnem vim verae eruditionis medicae acquiri poſſe credunt.

§. 104.

Ab iis vero, qui latino, vel, ſi ita placet, alio idiomate libros conſcribere, et ſua inuenta cum orbe erudito communicare volunt, non leuis tantum linguae illius cognitio requiritur, ſed vt naturam linguae accurate cognoſcant, neceſſe eſt, ne obſcuritate moleſti fiant, ſed vocabulorum ſelectu et periodorum numero et nexu placeant.

§. 105.

Artis medicae initia et mutationes ad noſtra vſque tempora adſpicere, et cum hiſtoria gentium vniuerſali, et praeſertim literaria conferre, non tantum

delectat, sed plurima medicinae capita ita illustrat, vt vera inuenta a spuriis, et hypotheticam docendi methodum a rationali discernere queamus. Alia tamen veteris, alia recentioris historiae ratio est, si eandem ad medicinae culturam applicare velimus.

§. 106.

Non itaque inutilem rem suscipiunt, qui varios eruditionis medicae veteris, graecae potissimum, fontes disquirunt; porro rationem verae eruditionis, barbarie excussa restitutae, etiam in physico-medicis studiis declarant, vbique chronologicum ordinem seruant, et in inuentorum summam et controuersiarum caussas inquirunt. Breuior tamen tractatio et eos iuuat, qui recentiorum doctrinam tantum considerare cupiunt, cum ea saepius cum veteri conferatur.

§. 107.

Recentiorum vero inuenta et dogmata in diuersis disciplinis accuratius inuestiganda sunt. Ii itaque, qui vel noua addere, vel inuenta aliorum in ordinem redigere volunt, ordinem historiae cuiuslibet disciplinae diligenter animo comprehendant, vt artem medicam inde perficiant. Qui autem ad medicinam faciendam tantum se accingunt, notitiam librorum optimorum sibi comparent, quo, si opus sit, in rebus disquirendis ad fontes doctrinae regredi queant.

§. 108.

Huius rei egregia adminicula inuenient, qui historiam vniuersalem inprimis literariam praemiserunt. Hanc enim historiam et praecipuas mutationes populorum quilibet eruditus cognoscere debet, qui vniuersae eruditionis fata et miras mutationes perpendere cupit. Et quamuis haec rerum disquisitio

ardua sit, tamen breuior via, adminiculis praestantissimorum medicorum munita, omnibus patet.

§. 109.

Vniuersae philosophiae studium ab omnibus coli debet, qui non merum eruditorum nomen quaerunt, et eos praecipue, qui in cognoscendis et diiudicandis naturae phaenomenis occupati sunt, dirigit et instruit. Inprimis autem logices, metaphysices et doctrinae moralis dogmata altioribus disciplinis praemittenda sunt.

§. 110.

Logica nimirum ideas euoluendo, ordinando et perficiendo, propositiones formare docet, quibus inter se comparatis, quid veri, quid falsi insit, iudicatur, quo conclusiones certae inde oriantur, quae fundamenta doctrinae sunt. Cum itaque per eandem facultates animi ad res indagandas praeparentur, cognoscendi et diiudicandi ratio in omnibus disciplinis ideoque etiam in medicina inde facilior redditur.

§. 111.

Nec metaphysica negligenda est, quae res in vniuersum, tum mundum, et animos magis declarat, porro Deum, ex religione reuelata iam cognitum, e principiis rationis simul considerare docet. Medicus itaque, his veris doctrinae principiis instructus, vt physicus, limites rerum cognoscendarum bene discernit, et in caussis primis inquirendis cautius versatur, id quod potissimum in psychologia empirica et rationali inter se comparata elucescit.

§. 112.

Cum tandem medicus, in societate hominum constitutus, officia homini, ciui et amico praestanda bene perpendere et exercere debeat, in con-

seruanda autem hominum sanitate et vita nec aliis, nec sibi aliquid detrahere, philosophiam practicam non tantum addiscat, sed omni virtutum genere ita inclarescere studeat, vt in rebus agendis conscientiae rationem habeat, et ita ductus ad excellentiora reuelatae cognitionis dogmata adspiret.

§. 113.

Medicus, qui corpora naturalia eorumque fabricam et vsum perpendit, in his disquisitionibus ea doctrina, quae quantitates corporum examinat, egere nequit. Mathesis itaque pura sic dicta non tantum animum instruit, quo in diiudicandis rebus accuratius versetur, sed praeterea omnis scientiae naturalis fundamentum est, nec eos, qui medicinam tractant, latere debet.

§. 114.

Per hanc quoque ad mathesin mixtam ducitur, quae varias doctrinas medico scitu necessarias exhibet, mechanicam scilicet, hydraulicam, hydrostaticam, aerometriam, opticam: quarum quidem omnium scientiam ita acquirat medicus, vt, si in medicina aliquod theorema occurrat, ex dictis disciplinis resoluendum, auctores consulere, et ex iis scitu necessaria in suos vsus conuertere possit.

§. 115.

Cum autem mathematicorum industria in his doctrinis declarandis vlterius processerit, et easdem ad varias scientias et artes perficiendas transtulerit, medicus, qui tantum partem sibi sumit, in his excellere nequit, nisi a consilio suo longius recedere velit. Etsi vero quam maxime medicus in mensurandis corporum quantitatibus et viribus progredi posse videtur,

tur, deſtitutus tamen iis, quae ponenda ſunt fundamenti loco, ex praemiſſis non definitis veras concluſiones eruere non poterit.

§. 116.

In phyſica generali primariae corporum affectiones expenduntur, ideoque doctrina de elementis corporum, quatenus ex phaenomenis declaratur, ſimul perueſtiganda eſt. Haec medicus ex phyſicis doctrinis ſeligit, et porro coeleſtia corpora, et quae in atmoſphaera generantur, examinat: phyſica autem ſpecialis animalium, vegetabilium, et mineralium vt plurimum a medicis tantum tractatur.

§. 117.

Partem phyſices primariam, hominis naturam, medicus ipſe in phyſiologia conſiderat, et normam tradit, quomodo et phyſica animalium brutorum inde adornanda ſit. Internam vegetabilium fabricam et vegetationis rationem ſaepe cum botanica coniungi perſpicimus, et phyſica mineralium, ſubterranea nonnullis dicta, in chemicis exercitationibus ſimul euoluitur, licet dolendum ſit, tanta rerum copia medicinam ſaepius onerari.

§. 118.

Id quoque cognoſcitur ex iis, quae nunc in praemittendis ſpecialibus de hiſtoria naturali proponenda ſunt. Haec tota ad medicinam non ſpectat: cum tamen a medicis ſaepius culta et vlterius declarata fuerit, in academiis quoque ab iis tractari ſolet, qui medicinae operam nauant, et quidem non ſine fructu. Cum enim in variis diſciplinis medicis corporum naturalium vis et indoles examinanda ſit, differentia eorum et vera cognitio non negligenda eſt.

§. 119.

Hiſtoria naturae ex phyſica cognitione addiſcitur: cum autem tot proprietates corporum naturalium, in figura, ſitu, nexu, numero et proportione partium externarum, cognitionem et diſtinctionem eorundem facilem reddant, multi in eo fuerunt, vt claſſes, ordines, genera et ſpecies, animalium, vegetabilium et mineralium ex characteribus externis conſtituerent, et ita conſiderationem hiſtoricam corporum trium naturae regnorum formarent.

§. 120.

Quia vero haec eſt mera enumeratio et coordinatio corporum naturalium, ideoque, niſi cum phyſica cognitione coniungatur, ad ſcientiam medicam vix aliquid confert: nos, quae tironi medico ſcitu neceſſaria ſunt, hic breuiter tangemus, et culturam ipſam hiſtoriae ac ſcientiae naturalis in vniuerſum, et compendiariam tractationem in vſum medicorum in altera parte methodi doctrinae medicae fuſius declaraturi ſumus.

§. 121.

Cum plurima alimenta, medicamenta et venena ex regno vegetabili petantur, medicus plantarum cognitionem ſibi notam reddat, et propterea non tantum in indigenis, ſed etiam in exoticis verſetur. Sed non debet haec botanices cognitio confuſa eſſe, verum characteres ex methodo petiti obſeruandi ſunt, quo eos in vegetabilibus, vbique in campis et hortis obviis, examinet, et cum inpoſterum ſelectum remediorum inſtituere debeat, ſemper ad hanc methodum recurrat.

§. 122.

Quanquam vero zoologia et mineralogia non aeque neceſſariae ſunt, tamen, cum corporum naturalium

ralium vis ad humanum corpus afficiendum cognoſci debeat, etiam tabulae ſynopticae methodi animalium et mineralium, ab optimis auctoribus propoſitae, in characteribus examinandae ſunt, quo ipſa corpora melius noſcantur et inter ſe diſtinguantur, quoties in diſquiſitione cauſſarum corpus humanum laedentium vel remediorum ſelectu iis opus eſt.

§. 123.

Anatome eſt apta corporum diſſectio et praeparatio, qua figura, ſitus, nexus, numerus, magnitudo et proportio partium, potiſſimum internarum, demonſtratur. Haec ad indagandam fabricam omnium corporum naturalium inſtitui poteſt, praecipue tamen in animalibus adminiſtratur, quo fabrica partium, vt inſtrumentorum, quibus functiones corporis efficiuntur, oſtendatur.

§. 124.

Quoniam praecipue ad actiones corporis humani ſani reſpicimus, anatome in cadaueribus adultorum vtriusque ſexus, de reliquo ſanis, ex cauſſa violenta ſubito interemtis, inſtituenda eſt, quo norma aliqua inueniatur, ad quam vita et ſanitas hominum in functionibus ſuis, quatenus a fabrica pendent, diiudicetur. Hac vero praemiſſa, foetus, infantis, pueri et ſenis cadauera incidenda, et inter ſe et cum adulto corpore comparanda ſunt. Tandem in diſſectionibus eorum, qui morbo obierunt, ſe exerceant medici, quo labes partium ſolidarum exemplis illuſtrentur.

§. 125.

Zootomia, ſaepe etiam diſſectioni humanorum corporum ſubſtituta, quanquam propter diuerſam vtriuſque corporis fabricam erroribus occaſionem dedit, tamen, modo ab iis adminiſtretur, qui humana cada-

cadauera secuerunt, egregia adminicula ad functiones hominis, et fabricam machinae animalis, in genere considerandam, praebet.

§. 126.

Partium vero detegendarum teneritas ad minimas penetrare vix permittit, etiamsi dissectores adminiculis variis, vt iniectionibus vasorum, maceratione partium, et microscopica obseruatione eo deuenire tentarunt. Quae quidem adiumenta quoniam magna cum cura applicanda sunt, ostendemus in loco de officio inuentoris medici, quomodo defectus verae euolutionis per obseruatas actiones aliquo modo iuuari, et, quae in fabrica obscura sunt, per singularia inuenta detegi debeant.

§. 127.

Chemia per ignem et alia menstrua corpora naturalia soluit, particulas minimas varia ratione vel separat vel combinat, et ita mixtionem earundem declarat. Iam si vel corpus humanum, vel alia corpora, quae in illud agunt, in minimis partibus, in quibus haec actio efficitur, consideranda sunt, experimenta chemica eo ducunt. Attendendum vero est, ne in obscura disquisitione particularum mixti ad hypotheses, quae veram doctrinam turbant, deducamur.

§. 128.

Ex his rationibus omni corporum disquisitioni physicae chemica praemittenda est, ideoque etiam cognitio corporis sani et aegri per eam multis modis illustratur. Nondum quidem omnia sunt experimentis detecta, varia tamen et in physiologicis et pathologicis doctrinis ex his principiis repetenda udicamus, quae a medicis in explicatione phaenomenorum negligi non debent.

§. 129.

§. 129.

Magis vero culta eſt chemia pharmaceutica, quae partim indolem et principia ſimplicium medicamentorum detegit, partim praeparationem et compoſitionem deſcribit. Haec itaque ſtudioſius examinanda eſt, vt ſelectus remediorum in materia medica per eam fiat, et vſus auxiliorum in corpore aegro certior reddatur.

§. 130.

Omnia ferme corpora trium naturae regnorum corpus humanum ſuo modo afficiunt, quippe praedita vel vi alimenti, vel medicamenti, vel veneni. Cum autem omnium conſideratio nimiam rerum copiam offerat, quam ne exercitatiſſimi quidem medici animus capere poſſit, ſelectus horum corporum, nutrienti, medicamentoſa et venenata vi praeditorum, in materia medica traditur, vt quilibet, compendiaria hac cognitione admonitus, legendo et experiendo plura addere poſſit.

§. 131.

Selectus hic materiae medicae varia ratione fieri ſolet. Alii eum ex diſtinctionibus hiſtoriae naturalis repetunt, et ad ordinem trium naturae regnorum diſponunt; alii, ad chemiam reſpicientes, indolem particularum componentium magis attendunt; alii demum therapiae generali magis accommodare ſtudent, et ex virium conuenientia ordinant. Sed quod methodus quaeque in ſe imperfectum habet, id abſoluit diuturnior et accuratior rerum tractatio.

§. 132.

De materia medica igitur optime exponitur, ſi in quatuor partes diſtribuitur, in quarum prima materia medica, ſtricte ſic dicta, catalogum ſimplicium ex ordine trium naturae regnorum proponit, et de

notis

notis bonitatis horum remediorum ſimul agit; in ſecunda pharmacia diſquiſitionem chemico pharmaceuticam addit, neque ſolum mixtionem particularum minimarum, ſed etiam varias praeparationes ſimplicium medicamentorum tradit; tertia diſpenſatorium ſiue formulas compoſitorum medicamentorum et extemporaneorum et in pharmacopoliis aſſeruandorum, tractat; in quarta tandem dynamiologia vires omnium explicat et in claſſes diſtribuit.

§. 133.

Cum tamen ampliſſima haec tractatio in ſcholis medicis in compendium redigenda ſit, forte non incongruum eſſet, ſi medicamenta ſimplicia ad normam trium naturae regnorum, virium tamen conuenientia non prorſus neglecta, ordinarentur, et mixtionis ratio, ſelectus praeparatorum, et generalis virium idea, vel ſingulorum, vel quorumdam coniunctorum, adderetur, et tandem formulae medicamentorum vt compoſitionis variae exempla, conſignarentur.

§. 134.

Tironem medicum, praemiſſis his doctrinis, in ipſa medicina felicius verſari poſſe, illico apparet. Ex his enim corpus ſanum, in phyſiologia declaratum, quoad ſingulas actiones diiudicare, et cum aegro, in pathologia diſquirendo, comparare poterit, qua cognitione acquiſita, in therapia generali methodum morbis medendi et applicationem optimorum remediorum facilius cognoſcet.

§. 135.

Phyſiologia, quae vſum partium vel naturam corporis animalis euoluit, et ita ſpeciatim oeconomiam corporis humani tradit, eſt ſcientia eorum, quae in corpore humano ſano eueniunt, ideoque cauſſas et effe-

effectus sanitatis considerat, et actiones, quae per corpus humanum fiunt, partim ex mechanismo et fabrica, partim ex mixtione particularum explicat, et quae ex his cognitionis principiis non satis declarari possunt, ex phaenomenis solis diiudicat.

§. 136.

Sanum corpus dicitur, in quo omnes actiones, quae per compositionem solidarum et fluidarum partium fieri possunt, expedite et sine incommodo perficiuntur. Etsi vero actionum corporis viui et sani varietas insignis, et simul peculiaris omnium nexus occurrit, distinctio tamen, in scholis medicorum recepta, qua actiones siue functiones corporis in vitales, animales, naturales et sexus distinguuntur, in hac generali tractatione a nobis tangenda est.

§. 137.

Actiones prorsus necessariae ad vitam continuandam, vitales appellantur. Circulus itaque sanguinis et humorum, qui actione cordis et vasorum connexorum efficitur, huc potissimum pertinet; sed cum actio pulmonum eundem per respirationem iuuet, haec quoque addenda est. Quoniam vero in his actionibus semper continuandis elasticitas sola non sufficit, vitalis etiam motus, a fluido ex encephalo prodeunte ortus, requiritur, ex quanam vero eius parte nerui eo deriuentur, dubium est.

§. 138.

Sunt quaedam actiones corpori animali tantum propriae, quibus ab aliis corporibus naturalibu , inprimis vegetabilibus, distinguitur. Hae animales dicuntur, et hinc etiam hoc nomine insigniuntur, quoniam animi vis in iis dirigendis simul se exserit. Sensus itaque externi et interni, nec non motus musculares, quatenus partes corporis varie dirigunt, huc referri

referri debent. Ad actiones tamen vitales et naturales vis muscularis quoque requiritur.

§. 139.

Actiones naturales dicuntur, quae naturam seu compositionem corporis animalis in genere conseruant, quibus proinde assumta alimenta sic mutantur, vt in minimis partibus apponantur et corpori assimilentur. Sic omnes actiones canalis alimentorum digestionem efficiunt, chylus, qui inde prodit, sanguinem auget, et postquam humores excrementitii per varia colatoria expulsi sunt, optimus humor animalis elaboratur, qui minimas fibras nutrit, et corporis conseruationem et incrementum efficit.

§. 140.

Actiones sexus tandem succedunt, si corpus debitum incrementum et vigorem acquisiuit. Corpus nimirum masculinum, propriis organis praeditum, his ipsis in foeminino corpore, ratione horum organorum diuerso, eas mutationes efficit, quibus nouum corpus producitur, siue homo ex homine nascitur.

§. 141.

Hae actiones in corpore animali viuo non quidem separatae, sed in continuo quodam nexu sunt, ita vt vna alteram iuuet et perficiat, quae quidem actionum, in vita et statu sano hominis occurrentium, vera ratio, explicata physiologia, melius perspicietur. Ideo tamen eandem hic breuiter indicare voluimus, quo in scholis medicorum recepta distinctio cognosceretur, et ea, quae in consideratione medicinae in vniuersum attendenda sunt, melius intelligerentur.

§. 14[illegible]

§. 142.

Physiologia in rebus naturalibus versari dicitur. Naturale philosophis est id, quod ex natura rei, et ideo, ratione corporum, ex compositione in genere considerata intelligitur, cui supernaturale opponitur, quod ex natura et mechanismo corporis declarari nequit. Medici vero naturale appellant id, quod per sanum corpus fieri potest, ideoque praeternaturali, quod in aegroto corpore obseruatur, opponitur. Hi porro a naturalibus et praeternaturalibus rebus distinguunt non naturales, siue eas, quae ad conseruationem corporis adhibentur, quarum tamen prauo vsu morbi inducuntur.

§. 143.

Diuersarum actionum corporis aliae vniuersales, aliae particulares sunt: illae in toto corpore et singulis eius partibus eduntur, hae vero per fabricam specialem quorundam organorum et viscerum definiuntur, etsi a prioris generis actionibus suo modo diriguntur. In expendenda itaque vita et sanitate hominum 1.) actiones vniuersales, 2.) particulares in caussis suis, 3.) signa sanitatis in effectibus declarantur, et tandem 4.) sanitatis conseruandae praesidia adduntur.

§. 144.

Prima pars physiologiae generalis est, quae actiones vniuersales tractat, itaque solidarum fluidarumque partium corporis indolem non tantum in vniuersum, sed quatenus in corpore animali ex variis phaenomenis cognoscitur, expendit, et quamquam inde tandem canalis, siue vasis, humores continentis, fabrica cognoscitur, simul tamen contextus cellularis examinandus est, per quem corpus animale, ex vasis conflatum, in densam quandam texturam cogitur.

§. 145.

Ex his deinde canales, arteriosi et venosi, sanguinem vehentes, formantur, hinc cordis machina considerata, quae cum illis coniuncta est, circulatio sanguinis, ceu elaboratio prima humorum, per vasa maiora examinatur. Ex progressu vero vasorum in minora, prioribus ferme similia, sed sanguinem rubicundum non amplius vehentia, elaboratio secunda et mixtio successiue mutata in secretionibus vniuersim consideratis apparet. Optimi deinde et lymphatici humores, in tertia elaboratione per contextum cellulosum et glandulas conglobatas producti, et euchymia seu repletio corporis per bonos succos perpenditur, et in distributione, appositione et assimilatione in minimis vasis et fibris, ideoque nutritio vltima declaratur.

§. 146.

In hoc vero motu fluidorum per varios canales non subsistit vis machinae animalis, sed fluidum, singulari ratione in encephalo elaboratum, et mediante medullari parte per neruos distributum, nouas vires addit, easque pro varia partium mouendarum indole dirigit et intendit. Hinc sensus externi et interni idea generalis ducitur, et quomodo motus oscillatorii et speciatim musculares perficiantur, ex adductis phaenomenis cognoscitur.

§. 147.

Secunda pars physiologiae specialis actiones particulares declarat. Quo itaque sanguinis rubicundi, vt humoris vniuersalis, ratio §. 145 melius perspiciatur, transitus alimentorum per primas vias, tanquam canalem; qui nutrimenti animalis praeparationem per varia organa praestat, consideratur, ex qua re

chyli

chyli elaboratio cognofcitur, cuius progreffus cum lymphatica parte humorum ad fanguinis maffam fyftema vaforum nouis fuccis replet, et ad vlteriorem circulationem difponit.

§. 148.

Cum autem pulmo non tantum in fanguinis circulatione et elaboratione §. 137. primarias partes habeat, fed refpiratio thoracis fabricam et motus fimul neceffario adhibeat, et varias actiones v. c. loquelae, cantus cet. proferat, de his figillatim dicendum eft. Simili etiam ratione fecretiones, quae per vias vrinae et habitum cutaneum fiunt, vt actiones particulares, vniuerfam humorum maffam depurantes, ex organorum horum fabrica explicandae funt.

§. 149.

Senfuum etiam conditio feparatim defcribenda eft. Praemiffis itaque illis, quae ex fabrica partium de tactu, guftu, olfactu, auditu et vifu exponi poffunt, et actione nerui dirigentis in his praecipue perfpecta, fenfus interni ratio, quae ex fabrica encephali non fatis perfpicue diiudicari poteft, e phaenomenis quaeritur, et obfcura fomni natura fimili ratione declaratur.

§. 150.

Cum autem ex homine homo nafcatur, et a parte maris fecretio fpermatis, et eius applicatio ad corpus foeminae, in hac vero conceptio foetus, eiusque nutritio et incrementum in vtero attendi debeat, generationis negotium in vtroque fexu declarandum eft, quo mutationes hominis recens nati fimul cum alimento, ex mammis maternis fugendo, fubiungantur.

§. 151.

Tertia pars phyſiologiae ſemioticam phyſiologicam ſeu ſigna ſanitatis recenſet, quae non tantum ex mutationibus ſucceſſiuis corporis humani, ſed etiam ex actionum vigore et conſtantia colligenda eſt. Tum ſanitas in vniuerſum, et ſingulorum quoque hominum ex doctrina de temperamentis, ceu varia proportione ſolidarum et fluidarum corporis animalis partium, illuſtrari debet, ex quibus omnibus tandem viſcerum ſpecialiſſima ſanitas diiudicari poteſt.

§. 152.

Quarta phyſiologiae pars diaetetica appellatur, quae et victus rationem, et omne moderamen rerum non naturalium §. 142. ſiue praecepta ſanitatis conſeruandae tradit. Praemiſſis igitur nonnullis in vniuerſum, aeris, cibi et potus, motus et quietis, ſomni et vigiliarum, excretorum et retentorum, animique affectuum efficacia in corpus ſanum deſcribitur conſiliisque regitur.

§. 153.

Pathologia in rebus praeternaturalibus §. 142. verſatur: eſt enim ſcientia eorum, quae in homine aegroto eueniunt, ideoque de differentia, cauſſis, ſymptomatibus et ſignis morborum agit. Morbus vero eſt ſtatus ſanitati oppoſitus, ſiue ſeries mutationum, quae, laeſa corporis machina, accidunt.

§. 154.

Differentiae morborum, quae in noſologia traduntur, et ſaepius experiendo detectae, et ad aliqua doctrinae capita redactae ſunt, vel eſſentiales vel accidentales dicuntur. Illae in mutatione morboſa ſo-

lidarum

lidarum et fluidarum corporis partium positae sunt, ideoque ad essentiam seu compositionem corporis referuntur: hae ab accidentalibus quibusdam circumstantiis desumuntur, et varietatem progressus morborum explicant.

§. 155.

In essentialibus morborum differentiis delineandis parum est, particulas minimas scrutari, cum ex mixtione et viribus insitis diiudicandae sint. In humoribus tamen aggregatis, siue collectiue sumtis, ratione quantitatis plethora et κενεαγγεία, ratione qualitatis cacochymia et variae species subordinatae examinantur. In solidis partibus elasticitas fibrae et vis vitalis, quatenus augentur et decrescunt, considerantur, et rigidi et laxi, stricti et debilis differentiae eruuntur. Quibus declaratis, in canalibus et cauis aucta et imminuta cauitas disquiritur, et ita compositarum partium, organorum et viscerum morbi melius definiuntur.

§. 156.

Accidentales morborum differentiae aliae ex caussis et subiectis, aliae ex tempore, aliae tandem ex euentu siue vltimis morborum mutationibus cognoscuntur. Praecipue vero ad durationem et vicissitudines morborum in exacerbatione et remissione attendendum est, quo paroxysmorum ratio et potissimum morborum progressus per varia stadia intelligatur.

§. 157.

Caussae morborum in aetiologia ordinantur, harum applicatione corpus sanum ita mutatur, vt actiones laedantur. Cum ergo omnes diaetae errores aliquam labem corpori inducant, in iis caussae occa-

ſionales morborum quaerendae ſunt. His ſaepius admiſſis, et aliis ſimul accedentibus, leuior mutatio corporis per vires vitae non corrigitur, labes potius permanens corpus ad morbos diſponit, hinc naſcuntur cauſſae praediſponentes, non vt priores tranſitoriae, ſed permanentes. Cauſſae itaque occaſionales et praediſponentes vt remotae conſiderantur, quae tandem coniunctae et auctae cauſſam proximam, ſiue rationem principem actionum laeſarum vel ſymptomatum nunc increſcentium exhibent.

§. 158.

Cauſſae igitur morboſae ſucceſſiue labem corpori inducunt, quae per effectus ſiue actiones laeſas, quae ſymptomata dicuntur, apparet. Haec ſymptomatologia proponit. Quoniam vero vel a morbo, vel a cauſſis, vel ab aliis iam antea inductis ſymptomatibus pendent, et inde varias mutationum morboſarum ſeries efficiunt, non melius, quam ex ordine actionum in phyſiologia §. 144. ſeqq. aſſumto, conſiderari et exemplis illuſtrari poſſunt.

§. 159.

Et cauſſae et ſymptomata per ſigna innoteſcunt, et vel ex diſpoſitione corporis totius, vel ex quibusdam particularibus mutationibus petuntur, et ex ſtudioſa comparatione actionum laeſarum cum functionibus ſanis patent. Signum itaque, quod vniuerſam morbi indolem declarat, pathognomonicum dicitur, et exercitatum medicum requirit, qui varia ſigna in vnam ideam cogit: in ſingulorum vero conſideratione ex praeſenti ſtatu aegri, cum praeterito et futuro comparato, ſigna varia colliguntur, et ad anamneſtica, diagnoſtica et prognoſtica referuntur.

§. 160.

§. 160.

Semiotica itaque pathologica, quaecunque ſunt in aegro obſeruata, ita ordinat, vt anamneſtica in ſcrutinio cauſſarum occurrant, diagnoſtica ex laeſis potiſſimum actionibus, vel ſigillatim vel coniunctim conſideratis, appareant, ex his, bene inter ſe comparatis, ad futuras aegri mutationes in prognoſticis concludatur. Cum etiam in acutis morbis ſemper, in chronicis vero ſaepius, elaborationes humorum eadem ratione, vt in ſtatu ſano, diiudicari et cum eodem comparari debeant, doctrina de cruditate, coctione et criſi humorum ex veterum obſeruationibus repetenda eſt.

§. 161.

Therapia methodum medendi ſiue mutationes corporis aegri in ſanum explicat. Quod ſi itaque in medela morborum vna tantum res mutanda foret, facilis eſſet medendi ratio: quoniam vero morbi, licet in ſe vt ſimplices conſiderari poſſint, in vario tamen cauſſarum et ſymptomatum concurſu multiplicantur, medicus varias indicationes ſiue medendi rationes animo proponere debet. Ergo videndum eſt, quomodo vitalis, cauſſalis, curatoria et ſymptomatica indicatio, ex diuerſis praemiſſis diſquirenda, et indicata ſiue remedia, expenſis ſimul contraindicantibus et coindicantibus, ordinanda ſint.

§. 162.

Vitales actiones §. 137. quae in reliquis corporis actionibus concurrunt, vel per ſe vigent, et reliquias ſanitatis in ipſo morbo continent, vel, ſi languidiores inueniantur, per alimenta et medicamenta inſtaurari debent. Ideo indicatio vitalis etiam conſeruatoria dicitur, et exigit, vt vigor totius corporis

et potiſſimum actionum vitalium conſeruetur, his enim ſolis medicus in aegro ſeruando iuuatur.

§. 163.

Si cauſſae morbi praeſentis ſemper durant, morbus quoque augetur: hinc indicatio cauſſalis illas omni modo remouere iubet. Vehementiſſimae cauſſae ſunt venena, quae effectus ſuos ſubito producunt, vt in his ipſa quaſi cauſſa proxima remouenda ſit. De occaſionalibus quoque cauſſis, vt erroribus diaetae, remouendis, medicus ſemper ſollicitus ſit, et cum imminens plethora et cacochymia, vt cauſſae praediſponentes, §. 157. ſenſim ad veros morbos ducant, in his quoque cauſſalis indicatio locum habet, quae ideo praeſeruatoria ſiue prophylactica dicitur.

§. 164.

Morbum curare eſt principem illam labem, quam cauſſae produxerunt, et ex qua ſymptomata oriuntur, coercere et in melius mutare. Ideoque non tantum de correctione ſolidorum atque fluidorum, morboſe mutatorum, ſed etiam de moderando et reſtituendo motu fluidorum, per ſolida aucto, imminuto, vel prorſus ſublato §. 155. cogitandum eſt; id quod non tantum remedia ſic dicta alterantia exigit, ſed haud raro euacuationes humorum ex primis viis, ex colatoriis vniuerſalibus, et ex ipſis vaſis, ſanguinem rubicundum vehentibus, efficiunt. In his vera indicatio therapeutica verſatur.

§. 165.

Symptomata, quae a morbo ipſo eiusque cauſſis in ſucceſſiuis mutationibus pendent, his ſublatis ceſſant. Cum autem ſaepius magis vrgeant, quam ipſe morbus princeps, eo reſpiciendum eſt, vt quocun-

que modo ſupprimantur. Quae curatio etſi non vera eſt, ſed tantum ſymptomatica et palliatiua, tamen, cum ſaepe neceſſaria deprehendatur, vrgens quoque appellatur, inprimis, ſi maior in ſymptomatibus moleſtia maiusque periculum, quam ab ipſo morbo, oriatur.

§. 166.

His igitur omnibus rite perſpectis, ad medicinam faciendam ſe confert medicus. Nihilominus, etiamſi experientia, per rationem confirmata, hanc cognitionem vniuerſae medicinae effecit, tamen ad res agendas exercitatione opus eſt. Diſperſa ſcilicet placita phyſiologiae, pathologiae et therapiae, quatenus ex praemiſſis aliis patent, nunc in cognoſcendis et curandis morbis, et in diiudicandis omnibus rebus, a medicis colliguntur, et concluſiones ſpecialiores exhibent.

§. 167.

Practica itaque medicina theoreticae ſubnectitur, nec tantum in ſcholis, ſed etiam in facienda medicina vlterius colitur. Cum vero alii morbi internas, alii externas partes potiſſimum afficiant, de prioribus medicina ſic dicta clinica, de poſterioribus chirurgia exponit, quae diſciplinae inter ſe quidem quaſi coniunctae ſunt, et ita in therapia ſpeciali tradi poſſunt, melius tamen diuiduntur. His porro medicina forenſis in diiudicandis rebus medicis, in republica et foro occurrentibus, et tandem caſuiſtica ſiue conſultatoria, in ſingularibus quibusdam et rarius occurrentibus morbis et laeſionibus occupata, ſubiungitur.

§. 168.

Quo autem curationes morborum ad therapiam generalem et reliquas diſciplinas theoreticas magis

referantur, morbi vniuerſales primum conſiderandi ſunt, qui ratione ſyſtematis ſanguinei febres, inflammationes et haemorrhagias; ratione ſyſtematis ſeroſo lymphatici varias cacochymiae ſpecies vniuerſum corpus afficientes; ratione ſyſtematis neruoſi, ſoporoſos, conuulſiuos, lipothymicos et melancholicos affectus ſiſtunt.

§. 169.

Per has generales doctrinas morbi ſpeciales melius cognoſcuntur et curantur, quae ideo ex compoſitione corporis animalis in capitis, pectoris et abdominis morbos diuiduntur. In quibus omnibus idea morbi, cauſſae et ſymptomata, et ex his petita ſigna pathologica, tandem curationis ratio ad indicationes therapiae generalis exigitur.

§. 170.

Simili quoque ratione in chirurgia morbi vniuerſales praemittuntur, ita vt inflammatio et morbi, qui eam ſequuntur, porro tumores, vulnera, vlcera et morbi oſſium, in parte prima cum generali medendi methodo declarentur, in altera vero parte morbi particulares ad ſeriem partium corporis humani enumerentur, et ſimul operationes chirurgicae paſſim deſcribantur.

§. 171.

Praxis ſpecialis clinica et chirurgica ſingulares quidem morbos nexos cum reliquis tradit; fuere tamen, qui de vno vel altero ſeparatim agerent: alii enim morbos infantum, mulierum, puerperarum, opificum cet. coniunctim, alii morbos quorundam populorum endemios tradiderunt. Vti etiam in chirurgicis morbi oculorum, vel lithotomia, vel aliae operationes ſigillatim exponuntur, ſic praecipue ars obſte-

obſtetricia ſeu embryulcia, vt peculiare caput chirurgiae, noſtris temporibus maiori cum cura exculta eſt.

§. 172.

Et medicina forenſis in duas partes diſtribuitur, quarum prior officium medici in republica ordinanda, et inprimis cauſſas et remedia morborum vniuerſalium exponit, poſterior vero officium medici in legibus interpretandis ad quaeſtiones iuris ciuilis, criminalis et eccleſiaſtici praeſcribit.

§. 173.

Quoniam vero cauſſae et ſymptomata, in morbis etiam vulgaribus, ſingulari ſaepius ratione decurrunt, et morbi varii inter ſe complicati, et effectus remediorum in iis inſoliti obſeruantur, aliaeque cauſſarum laedentium et morborum mutationes ſe offerunt, quae medici exercitati iudicium exigunt: ad amplificandam medicinae ſcientiam haec in caſuiſtica ſiue conſultatoria medicina ſeparatim proponuntur, quo interdum noua et nondum tentata medendi methodus commendetur.

§. 174.

Ita namque, omni medicinae ambitu adumbrato, ordinem doctrinae ſimul annotauimus, vnde patet, quomodo tiro medicus primo ad eruditionis vniuerſae principia accedere, et nominatim diſciplinas in addiſcenda medicina vtiles praemittere, poſtea, theoreticis diſciplinis in ſchola cultis, per obſeruationem naturae ipſam, et optimos medicorum libros, ad maiorem doctrinam progredi debeat.

CAPVT V.

LIBRI, QVI ADDISCENDAM MEDICINAM IUVANT.

§. 175.

Cum in corporum naturalium, et in primis hominis consideratione versetur medicus, et hac de caussa phaenomena naturae sedulo obseruare teneatur, vt experientia instructus rationem mutationum postea quaerat: arduus sane labor esset, si sine monitore contemplationem rerum susciperet. Sed eum praeter institutionem doctorum, qua olim vsus est, etiam lectio praestantissimorum librorum adiuuat.

§. 176.

Iam etsi in altera parte methodi doctrinae medicae optimi medicorum libri passim indicari, et, qua ratione iis vtendum sit, ostendi debet, tamen et iis, qui in scholis medicis versantur, vel ad faciendam medicinam iam progrediuntur, selectus librorum faciendus est, vt crebra lectione doctrinam praeceptorum examinent, ipsique continuata rerum medicarum obseruatione confirmentur.

§. 177.

Libros, qui humaniores literas, linguarum studia, historiam vniuersalem et literariam, nec non philosophiae et matheseos praecepta tradunt, ex aliis scholis sibi cognitos reddat medicus, cum in diuersitate methodi, quam praestantissimi scholarum et academiarum professores sequuntur, vbique tamen, dummodo attendant, rationem et modum cognitionis rerum, ad vniuersam eruditionem pertinentium, omni-

omnino intelligere, seque ad iudicandi facultatem exercere possint.

§. 178.

In physicis doctrinis vniuersalibus SAMUELIS CHRISTIANI HOLLMANNI *philosophiae naturalis primae lineae* editio auctior et emendatior. Gottingae 1765. 8. IOH. HENRICI WINCKLERI *Anfangsgründe der Physic. Leipzig* 1754. 8. PETRI VAN MUSSCHENBROEK *compendium physicae experimentalis* in vsus academicos conscriptum, Lugd. Bat. 1762. 8. euolui possunt. Compendiaria vero haec cognitio e MUSSCHENBROEKII *Introductione in philosophiam naturalem* Tom. I. et II. Lugd. Bat. 1762. 4. mai. amplius illustrari potest.

§. 179.

Ad historiam medicinae CLERICI, FREINDII et SCHULZII libri potissimum pertinent: plurima tamen collecta et ad recentiora tempora continuata inueniuntur in GOTTLIEB STOLLENS *Anleitung zur Historie der medicinischen Gelahrheit; in 3. Theilen. Iena* 1731. 4. IOH. HENRICUS SCHULZE *compendium historiae medicinae a rerum initio vsque ad excessum Hadriani* Halae 1742. 8. edidit. Ad fata medicinae cognoscenda quoque ducunt CHRISTIAN WILHELM KESTNERS *Kurtzer Begriff der Historie der medicinischen Gelahrheit überhaupt. Halle* 1743. 8. Eiusdem *Bibliotheca medica* Tom. I. et II. Ienae 1746. 8. Eiusdem *Medicinisches Gelehrten Lexicon. Iena* 1746. 4.

§. 180.

Praeter HERMANNI CONRINGII *introductionem in vniuersam artem medicam singulasque eius partes*, aliorum quoque de ea re libellos edidit GÜNTHER

CHRI-

CHRISTOPH. SCHELHAMMER Helmſtadii 1687. 4. GEORGIUS ABRAHAMUS MERCKLINUS in *Lindenio renouato* Norimbergae 1686. 4. notitiam quoque ſcriptorum medicorum tradidit. Succinctam introductionem in artem medicam dedit HERMANNUS BOERHAAVE in *Methodo diſcendi medicinam* Londini 1726. 8. Nam etſi libellus, a quodam auctoris diſcipulo editus, imperfectior eſt, noua tamen editio ALBERTI DE HALLER Tom. I. et II. Amſtelodami 1751. 4. egregias emendationes et acceſſiones exhibet, et *Indice Auctorum* a CORNELIO PEREBOOM Lugd. Bat. 1759. in 4. addito, vſui magis accommodata eſt.

§. 181.

Vocabula, quibus medici vtuntur, in tractatione diſciplinarum addiſcuntur, ſaepius tamen eorum origo et definitiones diſquirendae ſunt. A veteribus recepta vocabula aut IO. GORRAEI *Definitionum medicarum* Lib. XXIIII. Lutetiae Pariſiorum 1564. fol. aut ANUTII FOESII *Oeconomia Hippocratis* Francofurti 1588. fol. explicant. Multa vero, et recentioribus temporibus addita, breuiter indicant BARTHOLOMAEI CASTELLI *Lexicon medicum graeco-latinum* Geneuae 1746. 4. et STEPHANI BLANCARDI *Lexicon medicum renouatum* Lugd. Bat. 1735. 8. vel IOH. HENRICI SCHULZII editio correctior et auctior cum praefatione A. E. BÜCHNERI. Halae 1748. 8.

§. 182.

Omnem hiſtoriam naturalem delineauit CAROLUS LINNAEUS in *ſyſtemate naturae.* Editio Lipſienſis 1749. 8. c. f. vel alia recentior antecedentibus praeſtat. In decima et reformata editione, quae Hol-

Holmiae 8. Tom. I. 1758. Tom. II. 1759. prodiit, prior *animalia*, poſterior *vegetabilia* accuratius diſpoſita et in generibus et ſpeciebus declarata tradidit. Cum autem Tom. III. qui *mineralia* continere debet, nondum editus ſit, alii euoluantur ſcriptores: *Verſuch einer neuen Mineralogie, aus dem ſchwediſchen überſetzt, Kopenhagen* 1760. *in* 8. cuius auctor Cl. CRONSTAEDT eſt, aut IOH. GOTTLOB LEHMANNS *Entwurff einer Mineralogie. Berlin* 1760. 8.

§. 183.

Ad plantarum officinalium, inprimis indigenarum, diſquiſitionem, in qua medici accuratius verſari debent, PETRI ANDREAE MATTHIOLI *commentarius ad Dioſcoridis materiam medicam* Edit. Opp. a CASPARE BAUHINO Francofurti 1598. fol. et IACOBI THEODORI TABERNAEMONTANI *Kräuterbuch durch* C. BAUHIN *gebeſſert, und durch* HIERON. BAUHIN *vermehrt, Baſel* 1687. fol. conferri merentur, vel alii veteres Botanici ad ductum *Pinacis theatri botanici* CASP. BAUHINI Baſileae 1671. 4. euoluantur. Genera plantarum, a variis Botanicis varie definita, in *definitionibus* meis *generum plantarum* Editione GEORGII RUDOLPHI BOEHMERI Lipſiae 1760. in 8. diſquirantur. Multae autem ſpecies officinalium plantarum traduntur *in Herbario Blackwelliano emendato et aucto.* i. e. ELISABETHAE BLACKWELL *Collectione ſtirpium, quae in pharmacopoliis ad medicum vſum aſſeruantur*, cum praefatione CHRISTOPHORI IACOBI TREW, cum figuris et aeri inciſis et pictis a N. F. EISENBERGER Cent. I. Norimbergae 1750. fol. quod opus, ad Centuriam quintam nunc perductum, cum additamentis proxime finietur.

§. 184.

§. 184.

Omnem Anatomen proponunt et iconibus illuſtrant ANDREAS VESALIUS *de corporis humani fabrica* Lib. VII. Baſileae 1543. fol. c. f. aut Edit. Operum cura BOERHAAVII et ALBINI Tom. I. et II. Lugd. Bat. 1725. fol. c. f. et BARTHOLOMAEUS EUSTACHIUS *in tabulis anatomicis* Edit. I. M. LANCISII Romae 1728. fol. c. f. vel quae recentior eſt Lugd. Bat. 1744. in fol. c. f. ex explicatione B. S. ALBINI. Accuratae partium deſcriptiones ſunt in I. B. WINSLOW *Expoſition anatomique de la ſtructure du corps humain* a Paris. 1732. 4. Inter reliquas huius libri editiones apud nos vſitatiſſima eſt Amſtelodamenſis 1743. 12. T. I - IV; omnibus tamen praeſtat ea, quae ibidem 1752. 8. prodiit.

§. 185.

Chemicas doctrinas illuſtrant HERMANNI BOERHAAVE *Elementa chemiae* Tom. I. et II. Lugd. Bat. 1732. 4. c. f. vel Lipſiae 1732. 8. RUDOLPHI AUGUSTINI VOGEL *Inſtitutiones chemiae* Göttingae 1755. 8. IACOBI REINBOLDI SPIELMANN *Inſtitutiones chemiae* Argentorati 1763. 8. In mineralibus autem potiſſimum IOH. ANDREAE CRAMERI *Elementa artis docimaſticae* Tom. I et II. Edit. 2. Lugd. Bat. 1744. 8. c. f. conferantur.

§. 186.

Materiam medicam explicat PAULUS HERMANNUS in *Cynoſura materiae medicae* edita a IOH. BOECLERO Argentorati 1726. 4. et eiusdem BOECLERI *continuatio I. et II.* Argentorati 1729. et 1731. 4. IOH. FRIEDRICH CARTHEUSER in *fundamentis materiae medicae tam generalis quam ſpecialis* Francofurti ad Viadrum Pars I. 1749. Pars II. 1750.

in

in 8. Parisiis 1752. 8. Conferatur etiam Eiusdem *pharmacologia theoretico practica* Berolini 1745. 8. et CAROLI GUILIELMI POERNER *delineatio pharmaciae chemico therapeuticae* Lipsiae 1764. 8. Multa quoque medicamenta simplicia breuiter indicantur in NICOLAI LEMERY *dictionaire ou traité universel des drogues simples* a Paris 1716. 4. c. fig.

§. 187.

Formulas extemporaneas praescribendi rationem HIERONYMUS DAVID GAUBIUS *de methodo concinnandi formulas medicamentorum* L. B. 1739 8. it. 1752. it. Francof. ad Moen. 1751. cum praefatione D. W. TRILLERI 8. tradit. Conferatur quoque IOH. IUNCKERI *conspectus formularum medicarum*, remediorum speciminibus ex praxi Stahliana desumtis. Halae 1730. 4. Ex dispensatoriis ERNESTI FAGINI (Büchner) *dispensatorium Brandenburgicum* Erfordiae 1734. fol. item 1747. cum IOH. HENRICI SCHULZII *praelectionibus in dispensatorium Brandenburgicum* Norimbergae 1736. et auctior editio ibid. 1753. 8. et *Pharmacopoea Wirtenbergica* Stuttgardiae 1741. fol. it. 1754. euoluantur.

§. 188.

Institutiones medicas generales exhibuerunt GEORGE ERNEST. STAHL in *theoria medica vera* Halae 1708. 4. HERMANNUS BOERHAAVE *in institutionibus medicis* Lugd. Bat. 1734. 8. quibus iungantur *praelectiones academicae in proprias institutiones rei medicae cum notis* ALBERTI HALLERI Tom. I-VI. Gottingae 1740 - 1744. 8. Addatur quoque IOH. DE GORTER *compendium medicinae* Pars I. et II. Lugd. Bat. 1731. et 1737. 4.

§. 189.

Conferantur interdum opera veterum medicorum, ex Graecis HIPPOCRATIS *opera omnia graece et latine*, ad omnes alias editiones accommodata ſtudio IOH. ANTONIDAE VAN DER LINDEN Lugd. Bat. 1665. 8. Vol. I. et II. vel ex editione ANUTII FOESII Francofurti 1595. fol. CLAUDII GALENI *opera omnia* ex noua Iuntarum editione Venetiis 1625. fol. Vol. I - IV. et *Medicae artis principes poſt Hippocratem et Galenum graeci, latinitate donati* per HENRICUM STEPHANUM Pariſiis 1567. fol. Addantur ex latinis AURELII CORNELII CELSI *de re medica* Libri VIII. ex recognitione IOH. ANT. VAN DER LINDEN Lugd. Bat. 1665. 12. item TH. IANSON. AB ALMELOVEEN. Lugd. Bat. 1746. 8. CAELII AURELIANI *de morbis acutis et chronicis* Libri VIII. Amſtelodami 1709. 4.

§. 190.

Ex magno operum ad vniuerſam medicinam ſpectantium numero ſequentia tantum adducamus, ex quibus idea medicinae, proximis ſeculis cultae, apparet: IOHANNIS FERNELII *vniuerſam medicinam* cum ſcholiis GUILIELMI PLANTII Francofurti 1575. 8. item Geneuae 1679. fol. DANIELIS SENNERTI *opera omnia* in ſex Tomos diuiſa Lugduni 1676. fol. MICHAELIS ETTMÜLLERI *opera medica theoretico practica* cura IOH. CASPAR WESTPHAL Francofurti ad Moenum Tom. I. 1696. Tom. II. 1697. fol. FRIDERICI HOFMANNI *opera omnia phyſico medica* in ſex Tomos diſtributa, Geneuae 1740 fol. cum Supplemento I et II. ibid. 1753. fol.

§. 191.

§. 191.

In repetenda phyſiologia non ſine fructu leguntur IOHANNIS GODOFREDI BERGERI *phyſiologia medica ſiue de natura humana liber bipartitus* Wittebergae 1702 4. et IOHANNIS BOHNII *circulus anatomico phyſiologicus ſiue Oeconomia corporis animalis* Lipſiae 1710 4. Doctrinam de homine ſano, inuentis ſuis et aliorum medicorum declaratam, in compendio exhibent ALBERTI DE HALLER *primae lineae phyſiologiae auctae et emendatae* Gottingae 1751. 8. it. 1765. Plenius autem proponunt Eiusdem *elementa phyſiologiae corporis humani* Lauſannae 4. Tom. I. 1757. Tom. II. 1760. Tom. III. 1761. Tom. IV. 1762. Tom. V. 1763. Bernae Tom. VI. 1764. Tom. VII. 1765. Tom. VIII et vltimus prelo iam commiſſus.

§. 192.

Sanitatis tuendae praeſidia tradit *Schola Salernitana*, cum RENATI MOREAU animaduerſionibus Pariſiis 1672. 8. praecipue autem legi merentur IODOCUS LOMMIUS *de ſanitate tuenda in Lib. de re medica Celſi* Lugd. Bat. 1714. 8. et GEORGII CHEYNAEI *Tractatus de infirmorum ſanitate tuenda vitaque producenda* Londini 1726. 8. Pariſiis 1742. 8. et aucta editio Anglica Londini 1740. 8. Plurima, quae huc ſpectant, congeſſit IOANNES GOTTLOB KRÜGER *Diaet oder Lebensordnung Halle* 1751. 8. et ignotus Auctor in *Hygiene dogmatico - practica rationem conſeruandae ſanitatis corporis humani exponente*, Francofurti et Lipſiae 1757. 4. In compendio quaſi omnia collecta reperies, quae plerique iique optimi ſcriptorum diaeteticorum antiquiſſimorum

recentiorumque docuerunt, in IACOBI MACKENZIE *History of Health and the art of preserving it* Edinburgh 1758. 1759. 1760. 8. gallice Hagae Comitum 1759. 8. teutonice Altenburgi 1762. 8.

§. 193.

Omnem pathologiam succincte tradiderunt IOH. HENRICUS SCHULZE in *pathologia generali* edita per C. C. STRUMPF Halae 1746. 8. et H. D. GAUBIUS *in institutionibus pathologiae medicinalis* Leidae Bat. 1758. 1763. 8. Lipsiae 1759. 8. Differentias autem morborum vberius explicauit FRANCISCUS BOISSIER DE SAUVAGES in *nosologia methodica, qua morborum classes, genera et species iuxta Sydenhami mentem et botanicorum ordinem sistuntur*, Tom. I-III. Amstelodami 1763. 8.

§. 194.

In signis morborum declarandis conferri possunt IO. RUDOLPHUS ZWINGERUS *in speculo hippocratico, notas et praesagia morborum, nec non varia medendi, praecepta ex Hippocratis Coi monumentis ordine alphabetico digesta, proponente* Basileae 1747. 8. PROSPER ALPINUS *de praesagienda vita et morte aegrotantium* cum praefatione H. BOERHAAVE, quem edidit H. D. GAUBIUS Lugd. Bat. 1735. 4. GEORGIUS WOLFGANG WEDELIUS *in exercitationibus semiotico-pathologicis* Ienae 1700. 4. IODOCUS LOMMIUS *in obseruationibus medicinalibus* Lib. III. Amstelodami 1715. 8. THOMAS FIENUS *in semiotica* Lugduni 1664. 4. Consulatur etiam LUDOVICI GOTTFRIED KLEINII *interpres clinicus siue de morborum indole, exitu in sanitatem, metaschematismo, successionibus, euentu funesto diiudicationes, prae-*

praesagitiones medicae cet. cum praefatione ALBERTI HALLERI Francofurti et Lipsiae 1753. 8.

§. 195.

Ad therapiam generalem accuratius colendam pertinent: FRIDERICI DEKKERI *exercitationes circa methodum medendi obseruationibus illustratae* Lugd. Bat. 1694. 4. NICOLAUS PISO *de cognoscendis et curandis morbis* cum praefatione BOERHAAVII Lugd. Bat. 1736. 4. HENRICI IOSEPHI REGA *medendi methodus* Louanii 1737. 4. IOH. HENRICI SCHULZII *therapia generalis* edita per C. G. STRUMPF Halae 1746. 8. In indicationibus etiam medicis rite diiudicandis iuuabit lectio variorum librorum a BALTHASARE LUDOVICO TRALLES editorum. v. c. *Vsus opii salubris et noxius in morborum medela* Sectio I - IV. Vratislauiae 1757 - 1762. 4.

§. 196.

Vt praxin clinicam ad veram medendi methodum accommodare discant tirones, adeant HERMANNI BOERHAAVE *aphorismos de cognoscendis et curandis morbis* Lugd. Bat. 1728. 8. et GERARDI VAN SWIETEN *commentaria in hos aphorismos* Tom. I - IV. Lugd. Bat. 1745 - 1764. 4. Tom. V et vltimum proxime expectamus. IOANNIS OOSTERDYCK SCHACHT *institutiones medicinae practicae* Traiecti ad Rhenum 1747. 4. IOHANNIS DE GORTER *praxis medicae systema* Tom. I. et II. Harderouici 1750. 8. Lipsiae 1755. 4. Conferri etiam potest IOAN. ALLEN *synopsis vniuersae medicinae practicae siue doctissimorum virorum de morbis eorumque caussis et remediis indicia* Londini 1719. 1729. Amstelodami 1730. Venetiis 1732. Francofurti

 1749.

1749. 8. gallice ſtudio I. DE VAUX Pariſiis 1741. 12. Vol. VII.

§. 197.

De ipſo praxeos medicae exercitio non ſine fructu praeſtantiſſimorum medicorum opera practica tractabuntur, ex quibus hic ponere ſufficiat GUILIELMI BALLONII *opera varia*, partim ſeorſim Pariſiis, partim coniunctim Venetiis edita 1731 - 1736. 4. Vol. IV. Geneuae cum praefatione T. TRONCHIN 1762. 4. Vol. IV. GEORGII BAGLIVII *opera omnia* Lugduni 1710. 4. Antwerpiae 1715. 4. THOMAE SYDENHAMI *opera uniuerſa* Lugd. Bat. 1741. 8. et adiectis variis aliis libellis practicis Geneuae Tom. I. et II. 1736. 4. IOANNIS HUXHAM *opera phyſico - medica* Tom. III. curante G. C. REICHEL Lipſ. 1764. 8. ANTONII DE HAEN *rationem medendi* Pars I - IX. Vindobonae 1757 - 1765. 8.

§. 198.

In chirurgicis et methodum medendi et praecipua inuenta tradiderunt LAURENTIUS HEISTERUS in *inſtitutionibus chirurgicis* Tom. I. et II. Amſtelodami 1739 et 1750. 4. IOH. ZACHARIAS PLATNER in *inſtitutionibus chirurgiae rationalis* Lipſ. 1745 et 1758. 8. IOH. DE GORTER *in chirurgia repurgata* Lugd. Bat. 1742. 4. Lipſiae 1762. 4. quibus tamen ſcripta gallica et anglica VERDUC, LE DRAN, MAUQUEST DE LA MOTTE, DIONIS, COL DE VILLARS, GARENGEOT, POUTEAU, SHARP et alia, hic non plenius indicanda, iungi poſſunt.

§. 199.

§. 199.

In arte obſtetricia ſpeciatim quidem commendari merentur GUILIELMI MAUQUEST DE LA MOTTE *Traité des accouchemens naturels*, *non naturels et contre nature* a la Haye 1726. 4. FRANCISCI MAURICEAU *traité des maladies des femmes groſſes* Tom. I et II. a Paris 1718. 4. HENRICI A DEVENTER *operationum chirurgicarum nouum lumen exhibentium obſtetricantibus* Pars I. et II. Lugd. Bat. 1733. 4. c. f. vel editio gallica *Obſervations importantes ſur le manuel des accouchemens* Pars I et II, *traduites du latin et augmentées de reflexions* par IACQU. IEAN BRUHIER D' ABLAINCOURT a Paris 1733. 4. c. f. Succinctam autem tractationem ſiſtunt IO. GEORGIUS ROEDERER *in elementis artis obſtetriciae* Gottingae 1759. 8. et IOH. EHRENFRIED THEBESIUS *in der Hebammenkunſt. Hirſchberg und Liegnitz* 1756. 8. Varia tamen inuenta noua et monita in SMELLIE et LEVRETTI libellis vberius declarantur.

§. 200.

In medicina forenſi ſequentes potiſſimum euoluantur ſcriptores: IOH. BOHNIUS *de renunciatione vulnerum* Lipſiae 1711. 4. 1755. 8. HERM. FRIDERICI TEICHMEYERI *inſtitutiones medicinae legalis vel forenſis* Ienae 1751. 4. et auctior editio opera I. F. FASELII ibid. 1762. 4. IOH. ERNESTI HEBENSTREIT *anthropologia forenſis* Lipſiae 1751 et 1753. 8. Quaeſtionum vero medico legalium deciſiones collegerunt PAULUS ZACHIAS *in quaeſtionibus medico legalibus* Tom. III. editis a GEORGIO FRANCO, Francofurti ad Moenum 1688. fol. MI-

CHAEL BERNHARD VALENTINI *in corpore iuris medicinalis* Francofurti ad Moenum 1722. fol. MICHAEL ALBERTI *in systemate iurisprudentiae medicae* Tom. I - VI. Halae 1725 - 1747. 4.

§. 201.

In medicina consultatoria siue casuistica historias morborum, in praxi clinica potissimum occurrentium, diiudicauit FRIDERICUS HOFMANNUS *in medicina consultatoria* Tom. I - XII. Halae 1721 - 1739. 4. Disquisitionibus autem anatomicis morborum indolem declararunt THEOPHILUS BONETUS *in sepulchreto seu anatomia practica ex cadaueribus morbo denatis proponente historias et obseruationes omnium corporis humani affectuum* Tom. I. II. Geneuae 1679. fol. et IOH. BAPTISTA MORGAGNUS *in libris V. de sedibus et caussis morborum per anatomen indagatis* Tom. I. II. Venetiis 1762. fol.

CAPVT VI.

DE INDOLE TIRONIS MEDICI.

§. 202.

Postquam in praecedentibus capitibus omnem ambitum studii medici, ordinem doctrinarum et praecipua, quae ad eas rectius tractandas ducunt, subsidia considerauimus, indoles tironis, qui ad medicinam addiscendam se confert, breuiter tradenda est. Qua in re non tantum ad animi corporisque dotes, sed etiam ad ordinem, quem in discendo obseruare debet, temporisque rationem attendemus, vt vera medicinae discendae ratio inde pateat.

§. 203.

§. 203.

Etſi corporis vires et forte animi praeſtantia inde a natalibus repetenda eſt, ad haec tamen initia in formanda imagine tironis medici vix regrediendum erit. Succeſſiuum corporis incrementum et conſtans robur, animusque ad diſcendum aptus, ab educatione maxime pendent. Vti itaque ad omnia in republica praeſtanda officia pueri et adoleſcentes bene praeparandi, vti praecipue literarum ſtudiis deſtinati accuratius inſtruendi ſunt, ſic adoleſcentem, ad ſtudium medicum initiandum, vigore corporis et animi alacritate praeditum eſſe volumus.

§. 204.

Vniuerſum itaque corporis vigorem in tirone medico praeſtantiorem eſſe debere, exinde intelligimus, quod et in addiſcenda medicina, et in colenda faciendaque, cum animi praeſtantia etiam corporis exercitia, et nonnunquam labores ſatis duros, coniungere neceſſe eſt. Hinc in primis annis a mollitie vitae multum recedat, nec adeo tenui, ſed duro ſaepius victu nutriatur, quo corpus ſemper exerceat, et inde eminens aliquod eius robur accipiat.

§. 205.

Quemadmodum igitur imbecilles ad medicinam tractandam minus apti ſunt, ſic inprimis caueatur, ne qua viſceris labe vel debilitate v. c. pulmonum laborent, nec vitiis externarum partium afficiantur, quibus cultura ſtudii poſſit impediri.

§. 206.

Inprimis autem ſenſuum vigor integer ſit atque conſtans, et quantum fieri poteſt, conſeruetur. Viſus acies, nec non guſtus et olfactus praeſtantia, ad diſquiſitionem corporum naturalium, vt in hiſtoria et ſcientia naturali in vniuerſum, ſic inprimis in anatomicis et chemicis omnino requiruntur, et facilis auditus eum non tantum in doctrina percipienda, ſed etiam in ſermonibus cum aegris et imbecillis inſtituendis egregie iuuat.

§. 207.

Vt vero ſenſus externi ad cognitionem rerum acquirendam multum faciunt, ſic interni cognoſcendis et diiudicandis inuentis exerceantur. Neque tamen ſufficit, perceptas olim res eodem ordine in animum reuocare, et memoriter velut recitare poſſe; ſed et hoc videndum eſt, vt, ſi vnaquaelibet notionum quondam acceptarum recurrat in animum, eius beneficio repeti poſſint omnes, quae cum ea fuerunt coniunctae: nam ſic ex tempore, et initio vndecunque facto, licet in memoriam reuocare omnium notionum ſeriem.

§. 208.

Minime vero, viuida imaginatione incitatus, nimis per obiecta externa erret, ſed ſaepe etiam iudicii vires exerceat, accurate diſcernendo et comparando eas res, quas ſenſuum beneficio accepit, et memoria retinuit. Quo neglecto, parum proficiet intelligendo, nam ex magna rerum copia, quas didicit, pauca tantum in vſum conuertere poterit.

§. 209.

§. 209.

Ac praeparant quidem omnes hae mentis facultates adolescentem ad literarum tractationem; sed et humaniore doctrina et philosophia animus subigendus est. Ad medicorum itaque scholas nemo accedat, nisi qui his vniuersae eruditionis initiis satis imbutus sit: inprimis, antequam vlterius pergit, per generalem mathematico physicam corporum naturalium disquisitionem acuatur.

§. 210.

Neque ad ipsas theoreticas disciplinas tractandas properet tiro medicus, antequam praeparantes satis coluerit. Corporum enim naturalium cognitio in vniuersum, et speciatim anatomico - chemica, prius acquirenda est, quam ad contemplationem corporis animalis viui, sani et aegri procedatur, et de conseruatione ac restitutione sanitatis per exquisita remedia cogitetur.

§. 211.

Et disciplinas theoreticas recte absoluisse debet, cum ad practicas tractandas se conuertit. In practicis enim non nisi conclusiones afferuntur, quae ex praemissis propositionibus patent: quare praemissae sedulo examinandae et inter se comparandae sunt, ne in practicis disciplinis conclusionibus, sine probatione assumtis, vtatur.

§. 212.

Ideo etiam disciplinae theoreticae accuratius addiscendae sunt, quoniam non nisi ex vera et docta institutione praeceptoris acquiri possunt. In tanta enim opinionum et hypothesium copia tiro sola librorum

brorum lectione vix adiuuari ſatis poſſet, ſed ſemper confunderetur, niſi inuentorum ratio, et ſubtilis argumentorum expoſitio, primas lineas ſcientiae medicae recte duceret, et ad vlteriora inuenta progredi permitteret.

§. 213

Diſciplinis theoreticis vero ordine et nexu tractatis, practicae etiam ex inſtitutione praeceptoris non ſine fructu percipiuntur, quippe qui veram rationem, inuenta ad praxin transferendi, cognoſcit et tradit; ſi autem tiro doctrinae theoreticae ſyſtema bene perſpexit, inſtitutione in libris quaeſita cum fructu quoque vti, propoſitiones probabiles a veris diſcernere, et falſas vbique euitare poterit.

§. 214.

Tiro autem medicus in quibusdam diſciplinis, inprimis iis, quae tantum verae doctrinae praemittuntur, hiſtoria naturali, anatome et chemia, ob iucunditatem ſtudii non haerere, et in vna vel altera, reliquis neglectis et remiſſius tractatis, ſubſiſtere debet, ſed cuilibet parti ſtudiorum tempus ſuum auſcultando et repetendo concedat, nec tantum diſciplinarum, ſed etiam ſingulorum capitum, in iis tractatorum, verum nexum aſſequatur.

§. 215.

Tempus, his exercitationibus academicis deſtinatum, omnino definiri nequit, ſed ex indole animi et aſſiduitate adhibita iudicatur. Qui enim, praeterquam quod alacritate animi gaudent, vniuerſae eruditionis principia cognorunt, ii praeceptoris inſtitutione facilius adiuuari poſſunt, quam tardiora inge-

ingenia, quae multo plus et temporis et contentionis impendere debent. Taceamus alia impedimenta, morbos, negligentiam, quibus ſaepe tirones retardantur.

§. 216.

Duos annos praeparantibus diſciplinis, duos item theoreticis, totidem practicis tribuere conuenientiſſimum eſſet, vt quidem primo biennio humaniores literae et philoſophiae initia, iam in gymnaſiis incepta, ſimul repeterentur: altero biennio diſciplinae praemittendae ſpeciales, priori biennio iam tractatae, cum diſciplinis theoreticis coniungerentur: tertio demum biennio practicae diſciplinae ita tractarentur, vt cum theoreticis coniungerentur, et ita totius artis diſcendae decurſus abſolueretur.

§. 217.

Neque vero in his tractandis a via nimium deflectat tiro medicus, nec ad alias doctrinarum partes, medicinae non adeo vtiles, ruat. Theologiam quidem naturalem colere, eamque per reuelatam perficere, officii eſt, vt vera religionis principia, ex ſacro codice hauſta, et argumentis hiſtoricis comprobata, cognoſcere et defendere queat: ſed, praeter hoc veri chriſtiani officium, aliarum diſciplinarum notitia quadam contentus ſit.

§. 218.

Quemadmodum enim aliqua iurisprudentiae cognitio medicinae forenſi prodeſſe poteſt, ſic iucunda aliarum literarum recreatio otiis medici non eſt neganda. Hiſtoria itaque et poeſis, vel res oeconomicae variae, quae ad phyſicam et chemiam ſpectant,

ctant, hoc consilio tractatae, non nisi vt interposita aerumnosae vitae medicae gaudia considerari possunt.

§. 219.

Ea quoque officia, quae bonum ciuem et verum amicum formant, a tirone medico non negligenda sunt, ideoque eo tempore, quo in discenda medicina occupatus est, consuetudini hominum non se subtrahat, sed vitae rationem ex familiaritate cum aliis cognoscat, vt, cum in facienda olim medicina variorum hominum genio et moribus se accommodare debeat, integritate vitae et morum suauitate vbique se commendet, consiliisque magis valeat.

§. 220.

Similia et plura medici practici officia in sequenti parte declarabo, nunc de officiis tironis medici erga doctorem paucis agam. Cum discens ab ore doctoris pendere debeat, aliqua fiducia in eius doctrinam omnino requiritur, ne tunc, cum discit, de rebus propositis nimis dubitet, neue se ipsum confundat, et confusus maneat. Dubitare subtiliter ei demum, qui, ambitu decurso, nexum disciplinarum tenet, concedi potest.

§. 221.

Qui sententiam praeceptoris non assequitur, is non illico de doctoris praestantia dubitet, sed aucto studio cognoscat, an forte, attentione neglecta, et res propositas neglexerit. Ita nec horam vnam alteramque negligat, cum nexum doctrinae turbet, nec alia cogitet, ne institutionem praeceptoris minus recte perspiciat. Repetendo etiam id agat, vt quicquid

quid non ſatis perſpexerit, denuo tractet, et obſcuras ideas clariores et diſtinctas reddat.

§. 222.

Repetitionem animam ſtudiorum eſſe, quilibet perpendat, ideoque non tantum quotidie de iis, quae didicit, ipſe cogitet, ſed, abſoluta explicatione minoris vel maioris doctrinarum partis, ſingulis menſibus aut trimeſtribus aut ſemeſtribus iterum continuata ſerie perlegat, alia in ſchedis annotet, alia in exercitatoriis, examinatoriis et diſputatoriis proponat, vt de rebus dubiis certior fiat.

§. 223.

Neque tamen fiducia tironis in praeceptorem tanta ſit, vt etiam non intellecta credat, et ideo ſummum magiſtrum eſſe contendat, quoniam ſublimem eius cognitionem aſſequi nequeat. Propterea non tantum quaerat dicta praeceptoris, confuſe in chartam coniecta, et poſtea ex iis inſtructionem expectet, ſed ſemper cogitet, et in his diem docere, et maiorem rerum intelligentiam conciliare.

PARS II.

PARS II.

DE COLENDA MEDICINA.

§. 224.

Postquam tiro medicus omnem ſtudii ambitum recte emenſus eſt, doctrinas a praeceptoribus acceptas repetit et accuratius perpendit, et ſi forte, auctoritate occoecatus, a ſentiendi libertate nimis receſſerit, ab ipſa naturae contemplatione et lectione librorum, a praeſtantiſſimis medicis conſcriptorum, auxilia obtinet, ad vlteriorem medicinae culturam cum fructu ſuſcipiendam.

§. 225.

Antequam vero hoc nouum vitae ſtadium ingreditur, a viris probis, dignitatem ſtudii recte aeſtimantibus, et in omnibus diſciplinis medicis bene exercitatis, tentetur, an ſcientiae medicae initia cognouerit, an diſciplinis vniuerſis et nexu doctrinarum ſatis inſtructus ſit, an ideo doctoris titulo ornatus, medicinam porro colere, aliis tradere, et tandem in diiudicandis et curandis morbis applicare poſſit.

§. 226.

In methodo itaque ſtudii medici vniuerſi porro ſtabilienda noſtrum eſt, dexteritatem doctoris recte diiudicare, et eius officia generatim definire, porro tribus capitibus medici inuentoris, profeſſoris et practici officium ſpeciatim ſub examen vocare, et poſtea publicam rei medicae curam, inprimis ratione culturae ſtudii, expendere.

CAPVT

CAPVT I.

DE DEXTERITATE ET OFFICIO DOCTORIS MEDICI.

§. 227.

Si quis, in ſcholis rite praeparatus, per ſex etiam annos §. 216. in academiis medicinam ſtudioſe tractauit, facultatem quidem porro colendae et faciendae artis ſalutaris acquiſiuit; eam tamen praeſtantiam, quae exercitio, hoc eſt, attentione ad phaenomena naturae, et earundem comparatione cum doctrina acquiſita quaeritur, continuato hoc ſtudio conſequitur.

§. 228.

Dexteritas itaque doctoris, ad artis medicae exercitium admittendi, in cognitione multarum rerum ad medicinam pertinentium conſiſtit; quae tamen ita ordinata ſit, vt concluſiones varias practicas, quas ex praemiſſis propoſitionibus, in theoreticis diſciplinis explicatis, collegit, ad ſingulares mutationes corporis ſani et aegroti ita referat, vt eas, ſi neceſſitas inciderit, ex principiis promte deducere queat.

§. 229.

Haec quidem applicatio generalis cognitionis ad ſpeciales mutationes corporis humani ab initio quandam difficultatem habet, quoniam, vt recte concludat, ſeriem propoſitionum omnium accurate noſſe debet medicus, ſed, modo ad verum ſemper doctrinae ordinem diſpoſita ſit, continuato artis

exercitio facilis redditur, quod multae propoſitiones intermediae, ſaepius expenſae, quaſi negligi poſſunt, non niſi in obſcurarum rerum difficiliori indagatione interdum repetendae.

§. 230.

Neque vero omnium eorum, qui artem medicam didicerunt, aequalis vis et praeſtantia eſt, ſed animaduertuntur acquiſitae eruditionis quaedam varietates, cum alii alacritate ingenii, alii aſſiduitate excellant, alii eminentioribus animi viribus inſtructi ſint: in omnibus tamen praeſtantia applicati ad praxin ſtudii locum habere poteſt, dummodo veris conſiliis ad vltimum finem aſſequendum dirigantur.

§. 231.

Sunt enim, qui doctrinas medicas ordine apto percipiant, et ſaepius repetendo memoriae infigant. Cum vero iudicii vis in iis non tanta ſit, vt ordinem doctrinarum occurrentibus mutationibus ſingulis accommodare poſſint, cum aliqua difficultate in praxi verſantur, et ideo non niſi taedioſo et repetito labore adiuti, tandem veram diiudicandi et medendi rationem aſſequuntur. In his tamen crebrior attentio ad caſus ſpeciales, et relatio ad doctrinas vniuerſales, ingenii et iudicii vires ita acuit, vt tandem, licet tardius, ad excellentiam doctoris accedant.

§. 232.

Alii ingenio excellentes, viuidaque imaginationis vi calentes, ad varias doctrinas excurrunt, rerum ſimilitudines mox arripiunt, et ita ſaepe iudicium de cauſſis ſingulis praecipitant. Hi quidem

facile

facile errant, ſed errorem aeque facile agnoſcunt, et moniti corrigunt, conſiliis praeſtantiſſimorum medicorum ad tarditatem aliquam in concludendo ducuntur, et ita nimiam animi inconſtantiam compeſcunt.

§. 233.

Sunt tandem, qui iam in addiſcenda medicina memoriae vim et ingenii alacritatem attentione et iudicio firmarunt, qui in tractandis diſciplinis medicis vniuerſis ſeries propoſitionum accurate ad concluſiones formandas copularunt, et hoc exercitio edocti, in colenda faciendaque medicina facilius excellunt, et citius ad dexteritatem praeſtantiſſimi medici deferuntur.

§. 234.

Cum tamen omnes iuniores medici in vlteriore ſtudii cultura conſiliis et monitis adiuuandi ſint, neceſſe omnino eſt, vt medici veterani, qui ſubacta cognitione rerum per experientiam repetitam et rationem additam inſtructi ſunt, illorum indolem bene diiudicent, et viam vlteriorem recte definiant, cum non vniuerſalibus, ſed ad hanc animi conditionem directis conſiliis iuuari poſſint.

§. 235.

Vti vero in addiſcenda medicina iuuenes, neglecta vera ratione, ſaepe ad auia delabuntur, ſic et in cultura ſtudii ſemel incepti, aut negligentia, aut opiniones falſæ, multos doctores ita decipiunt, vt, derelicta vera ſtudiorum tractatione, ad genuinam doctrinam nunquam reuocari poſſint. Eſt certe in omnibus rebus humanis aliqua imperfectio, quam

F 2 in

in nobis et aliis difficillime corrigimus, cum aut animi imbecillitas consilia non capiat, aut nimia virium fiducia monita amicorum spernat.

§. 236.

Etsi itaque in diiudicandis officiis medici de singulis praecipere non possumus, nostrum tamen erit, ea in vniuersum declarare, ac, ne nostris viribus nimium tribuamus, ex fundamentis, in parte prima iactis, porro definire. Nonnulli quidem officia medici tribus partibus absolui putant, et clinicum, chirurgicum et forensem medicum considerant: cum tamen haec distinctio practicam tantum medicinam concernat, nos, qui vniuersi studii culturam hic explicamus, officia inuentoris, professoris et practici medici sigillatim perpendimus.

§. 237.

Quidam medici ad vnam vel alteram disciplinam, inprimis praeparantem, vel eius partem accuratius definiendam, se conferunt, quos Inuentores medicos appellamus. Hi nimirum omnem operam in eo collocant, vt dubiis, nec satis excultis, disciplinarum partibus per varia inuenta maiorem lucem accendant; et licet pauci sint, qui, vel suis divitiis vel stipendiis publicis adiuti, hanc studiorum rationem eligant, nonnulli tamen, qui alia munera subeunt, aliquam partem etiam inuentorum in se suscipiunt: hinc de laboribus recte ordinandis commonefaciendi erunt.

§. 238.

Alii munus Professoris capiunt, et vel totum medicinae ambitum, vel aliquas eius partes in prae-

lectionibus ſuis tradunt, ideoque non tantum nexum rerum, in omnibus diſciplinis propoſitarum, accuratius perpendunt, ſed aliis quoque exponunt. Hi ergo omnes labores inuentorum, quantum quidem fieri poteſt, examinant, quae in his certa inuenerunt, ſuis locis inſerunt, et ad concluſiones recte formandas adhibent. Dum autem hoc agunt, varias doctrinarum partes, non ſatis declaratas, ſed vlterius colendas obſeruant, quas vlteriori inuentorum ſtudio commendant, et practicos tandem ad phaenomena recte declarata attendere iubent.

§. 239.

Plerique medicorum eo tantum reſpiciunt, vt artis ſalutaris dogmata in commoda aegrorum conuertant, et praemiſſas in diſciplinis praeparantibus et theoreticis doctrinas ad praxin clinicam, chirurgicam et forenſem accommodent. Hi, vt medici Practici ſtrictius dicti, in ſingularibus aegris examinandis verſantur, et ex cauſſis effectibusque, hoc eſt, ex mutationibus vel naturalibus vel praeternaturalibus corporum humanorum, ſanitatis et morborum ſigna colligunt, inter ſe comparant, conſilia de ſanitate tuenda et recuperanda exhibent, medicamentis et aliis remediis in hunc vſum adhibitis.

§. 240.

Officia horum medicorum communia quidem ſunt, cum omnes ſeueram conſiderationem vniuerſae medicinae ſuſcipere teneantur: attamen in his rebus, ut decet, exſequendis quilibet peculiaria officia ſibi iniuncta eſſe intelligat, quae tanquam normam agendi ſibi proponat, vt pro viribus ad perficiendum ſtudium medicum ſuam partem conferat:

quam quidem rem ſequentibus methodi noſtrae capitibus declarabimus.

§. 241.

Sed vt iam in genere monuimus, quemlibet medicum ordinem totius doctrinae medicae animo percipere debere, antequam ad ſpecialia officia ſe praeparet; ſic in vniuerſum ſtatuimus, in omnibus ſtudiis naturae rerum indagandarum vnice inhaerendum eſſe, quoniam haec ſola nos de rebus medicis vere inſtruit: libros enim a clariſſimis viris conſcriptos ideo tantum euoluimus, vt ad rerum cognitionem breuiori quadam via ducamur.

CAPVT II.

DE MEDICO INVENTORE.

§. 242.

Hanc tractationem, tanquam ſummam et finem totius ſtudii medici, vltimo loco proponere debuiſſemus: nemo enim ad res inueniendas ſe conferre poteſt, niſi cognoſcat, quomodo profeſſor et practicus in colenda medicina verſetur, quo inuenta ſua in eorum commodum dirigat. Cum autem ad ſummam rerum cognitionem nemo perueniat, cum et in docenda et facienda medicina ad inuentionem rerum reſpiciendum ſit, cum fundamenta inuentionis ex diſciplinis praeparantibus potiſſimum petantur, inſtituti noſtri ratio omnino exigit, vt de inuentoris officiis primo loco diſſeramus.

§. 243.

Sunt vero quaedam officia inuentorum generalia, quae ex logicis principiis potiſſimum deducta quemlibet inſtruunt, quomodo phaenomenis, in natura occurrentibus, vti debeat, quo vires agentes in omnibus mutationibus vere perpendat, et ex effectibus in rerum cauſſas inquirat. Sunt porro multae differentiae corporum naturalium, in genere tantum et ex habitu externo diiudicandae, quibus perſpectis internas corporum mutationes et indolem melius definire poſſumus: has vero ad ſingulas doctrinas non bene reducimus, niſi ſimul fabrica et mixtio corporum in anatome et chemia diſquiratur. Cum etiam inuenta ſaepe in multis libris diſperſa ſint, compilatores requiruntur, qui illa colligant.

§. 244.

Hoc ergo ſequentibus ſectionibus vberius declaraturi ſumus, ac dicemus

Sect. I. De officiis inuentorum in genere.
II. De officiis cultorum hiſtoriae naturalis.
1. De mineralogis.
2. De botanicis.
3. De zoologis.
III. De officiis phyſicorum.
IV. De officiis anatomicorum.
V. De officiis chemicorum.
VI. De officiis compilatoris.

§. 245.

Nemo autem miretur, nos explicare inuentorum officia tantum in diſciplinis praeparantibus,

cum et in theoreticis et practicis inuenta, in diiudicandis actionibus hominis ſani et aegri, in ſignis morborum et in remediis vtilibus negligenda non ſint. Sed quoniam haec inuenta vtplurimum concluſiones ſunt, ex praeparantibus diſciplinis petitae, inuentionem in theoreticis diſciplinis profeſſoribus, in practicis autem medicis, artem facientibus, commendabimus, et in ſequentibus capitibus deſcribemus.

SECTIO I.

DE OFFICIIS INVENTORVM IN GENERE.

§. 246.

Conſilium inueniendi nemo capere poteſt, nec ad inuenta noua melius definienda et ordinanda ſe conuertere, niſi qui vel eo tempore, quo omnem ſtudii ambitum emenſus eſt, hiſtoriam literariam inuentorum bene perſpexerit, vel, abſoluto iam ſtudio, ea repetendo coluerit, vt, ſi non omnes, praecipuos tamen labores eorum, qui ad artem ſalutarem perficiendam aliquid contulerunt, ſciat et diiudicare diſcat.

§. 247.

Vtiliſſimum itaque foret ſtudium, ſi profeſſores, qui tantum inuenta certa et vtilia ex multis ſeligunt et proponunt, in declarandis diſciplinis ſimul oſtenderent, ex quibus fontibus hanc cognitionem hauſiſſent, nec tantum inuentorum rationem perpenderent, ſed etiam, in exercitatorum diſcipulorum commodum, interdum fallacias in inueniendo indica-

indicarent, quo inde ad vlteriora inuenta acuerentur.

§. 248.

Multiplex occaſio errandi, quae alios in inueniendo decipere potuit, ſuadere videtur, vt, quaecunque pertineant ad augendam doctrinam, ipſi inueniamus et perſpiciamus: cum autem haec ratio ob copiam rerum locum non habeat, et quilibet confiteri teneatur, ſe quoque errare poſſe, praeterea nos errores aliorum melius detegamus, quam noſtros, neceſſe omnino eſt, vt inuentor labores ſuos cum aliorum inuentis conferat, erroresque forte enatos ita detegat et corrigat.

§. 249.

Iam ſi quis obſeruando vel tentando detecta naturae phaenomena in ordinem redigit et declarat, primo quidem ex propoſitionibus praemiſſis concluſionem deducat, et ſemel iterumque ſeriem demonſtrationum perpendat, nunquam autem credat, ſe veram rerum naturae diſquiſitionem attigiſſe, niſi inuenta cum aliorum laboribus comparauerit: hoc enim ſtudio in ſuis multa corrigit, alia expungit, alia melius definit, et ita contra diſſentientes optime defendit.

§. 250.

Summa autem vtilitas hiſtoriae literariae ad res inueniendas illico patet, qua adiuti non tantum optimos ſcriptores, ſed et hoc cognoſcimus, qua ingenii vi, quibus externis adminiculis, qua conſtantia in cauſſis rerum indagandis verſati fuerint. Proinde quilibet inuentor, his exemplis inſtructus, non ſolum de fide obſeruatorum, quos in laboribus

ſuis conſulit, certior redditur, ſed etiam normam proponit, ad quam in rebus diſquirendis progredi, vere demonſtrata ſeligere, erroresque euitare poſſit.

§. 251.

Qui igitur eas ſui ingenii dotes animaduertit, quibus ad attentam contemplationem rerum naturae impellitur, is eo ipſo ad inuentionem nouarum rerum dirigitur: dum enim in tractatione diſciplinarum diu multumque verſatur, et in ſingulas doctrinas accurate inquirit, tandem eo defertur, vt ex tot rebus, obſcuritate quadam obuolutis, vnam alteramque tractandam ſeligat. Neque deerit vnquam rerum perficiendarum occaſio, cum in ſingulis doctrinarum partibus ſaepius deprehendantur tam multae res obſcurae et difficiles, vt eas ne multorum quidem ſeculorum diligentia declarare et ſuperare poſſit.

§. 252.

Quando igitur medicus in tanta rerum copia vnam partem doctrinae explicandam ſibi elegit, phaenomena naturae in ea re obuenientia ſemel iterumque attendat, et iisdem vnice inhaereat, ita, vt inuenta aliorum et dilucidationes ad tempus prorſus negligat. Si phaenomena, quae natura ſua ſponte offert, non ſatis eum inſtruunt, ad tentamina progrediatur, ideoque apparatum inſtrumentorum aliorumque ſubſidiorum rite perquirat et ordinet, quo mutationes corporum naturalium arte quaeſitas cognoſcat, et fallacias in experiundo euitare diſcat.

§. 253.

§. 253.

Inuentor, in rebus disquirendis suis viribus satis vsus, inuentis rite consignatis, ad alios auctores examinandos se conuertat, eorumque obseruationes et tentamina rite perpendat et repetat, vt videat, quae cum suis conueniant, quae vel ipse, vel alii neglexerint, quae alia et diuersa saepius ratione euenerint. Et hoc spectet, an alii, serie propositionum praemissarum melius ordinata, conclusiones luculentiores inde deriuauerint. Hac etiam ratione aliorum labores in suos vsus conuertat, annotando passim in schedis suis ea, quae ad rem recte conficiendam necessaria sunt.

§. 254.

Cum autem inuentorum consensus non semper reperiatur, accidit, vt in difficilioribus saepe et ambiguis locis ipse per aliorum inuenta et dilucidationes magis confundatur, quam instruatur. Tunc vero profuerit, omnes res ad tempus relinquere, et se ad aliam doctrinae partem colendam conferre, eam tamen, quae cum rebus tractatis aliquam coniunctionem habet: quo facto non raro per phaenomena, casu fortuito obseruata, ad noua inuenta deferetur, et ab his ad examen rerum sepositarum iterum reducetur.

§. 255.

Regressus ad priores labores inuentor non tantum seriem obseruationum, olim collectarum, sed et adiectas annotationes examinat, illas tamen ita diiudicat, quasi non ab ipso, sed alio inuenta essent, ideoque quid porro obseruandum, quid tentandum sit, melius perspicit. Nouis itaque curis in

desi-

definiendis rebus verſetur, quo has, quantum quidem fieri poteſt, declaret. Ad perfectionem doctrinae nunquam quidem deueniet inuentor; eam tamen magis magisque dilucidatam poſteris tradit, et viam vlteriori naturae contemplationi aperit.

§. 256.

Felices vero inuentores, ſi amicos ſibi elegerint, quibuscum ſaepe rationes laborum ſuorum communicent, a quibus, occoecati nonnunquam falſis opinionibus, ad prudentem dubitationem deducantur, quae ideo vtilis eſt, quod rerum conſiderationem redintegrare ſuadet. His ergo tentatis, et nonnullis obſeruationibus accedentibus, noua lux accenditur, et quod antea nondum confectum erat, repetitis curis vel ad maiorem probabilitatem deducitur, vel prorſus perficitur.

§. 257.

Vti vero crebra dubitatio, vel a nobismet ipſis, vel ab aliis mota, egregium in inueniendo vſum habet, ſic e contrario nimia dubitatio ſaepe in vitium vertitur. Inexhauſta eſt natura, et perfectiſſima rerum cognitio nunquam acquiritur: interdum itaque in rebus probabilibus ſubſiſtendum eſt, ne nimia conſiderationis inconſtantia veritatem, quam illuſtrare ſtuduimus, obſcuriorem reddamus, vel prorſus deſeramus. Inprimis hoc attendendum eſt, ſi ordo proponendorum, aucta rerum copia, non nihil turbatur: hinc, vbi plurima ſimul diſquirenda ſunt, ordo totius doctrinae ſummatim praemittatur, et ad inuenta ſingularia ſigillatim attendatur, quo, niſi totum, partem tamen perficiamus.

§. 258.

§. 258.

Ex his apparet, officia inuentorum in eo potiſſimum poſita eſſe, vt obſeruando vias naturae cognoſcant, et hac re exercitati vlterius progrediantur, tentamina inſtituant, et motus naturae ad definitas quasdam leges adſtringant, tandem obſeruationes et tentamina cum aliorum inuentorum laboribus conferant, et ita propoſitiones nonnullas in ordinem redigant, quo concluſiones ex praemiſſis rite ordinatis eruant. Quae quidem officia, ex logicis principiis et arte inueniendi vnice deducenda, nunc a nobis ad normam contemplationis naturae examinanda ſunt.

§. 259.

Naturae effectus et mutationes nobis vbique obuerſantur, ad quarum contemplationem a teneris aſſuefaciendi ſunt, qui naturae ſcrutatores fieri cupiunt. Iam vltimus quidem finis, quem diſquirendo quaerimus, ratio euentuum eſt, experientia tamen ſemper praemittenda videtur, vt antea cognoſcamus, quid eueniat. Caute itaque in obſeruando verſetur inuentor, omnia phaenomena, quae occurrunt, attendat, nec in principio concluſionem quaerat: in complicatis enim naturae operationibus ex paucis propoſitionibus praemiſſis non certo concluditur, ſed plures conferendae ſunt, antequam vera explicatio locum habet.

§. 260.

Attenta haec et iterata phaenomenorum occurrentium obſeruatio in ſcientia naturali et medica eo potiſſimum neceſſaria eſt, quod ſaepe ad veras concluſiones deuenire non poſſumus, ſed tantum accuratas

ratas obſeruationes ad ſingulares ſaepe euentus et probabiles concluſiones extendimus. Concedimus quidem, deeſſe huic cognitioni multa; ſed ſufficit, veram eſſe, et in ea re verſari, quae non omni ex parte demonſtrari queat, aut, ſi hoc velimus, non niſi iterata phaenomenorum obſeruatione effici poſſe, qua nimirum magis magisque inſtruimur.

§. 261.

In obſeruatione rite inſtituenda, primo phaenomena in vniuerſum, hoc eſt, quid eueniat, perpendimus, poſtea et re iterum perluſtrata, quomodo et ſub quibus circumſtantiis hoc eueniat, diſquirendum eſt: ſic enim intelligimus, vtrum ſemper, an tantum in vna vel altera rerum circumſtantium ratione mutatio quaedam obſeruatu digna eueniat, et ita in obſeruando eſſentialia ab accidentalibus diſtinguere diſcimus. In eſſentialibus definiendis praecipue verſamur, quo natura corporum cognoſcatur, accidentalia autem illuſtrandi cauſſa annotentur.

§. 262.

Poſtquam rerum naturae mutationes liberas ſaepius obſeruauimus, ad tentamina quoque progrediendum eſt, in quibus vires naturae artificium humanum vel adiuuet vel regat: quas quidem vires, non intellecto modo, quo agant, mutare non poterimus, natura enim non cogenda, ſed ducenda eſt: iam cogitur, ſi libera eius actio vel nimis intendatur, vel impediatur; ducitur autem, ſi, vario inſtrumentorum aliorumque ſubſidiorum apparatu adornato, libere quidem agat, ſed variis rebus diſpoſitis noua phaenomena exhibeat.

§. 263.

§. 263.

In hac autem re omnis ſubſidiorum apparatus, ad diſquirendas naturae vires et operationes adhibendus, ſedulo definiendus eſt, interdum ille ſimplicior, interdum magis compoſitus. Quilibet igitur, qui tentamina inſtituit, ſimpliciorem apparatum primum capiat, et mutationes obſeruet, quo, ſi non poſſit rem exſequi, paulo poſt vires corporum compoſitas addat, ſucceſſiuas naturae operationes cognoſcat, et eſſentiales ab accidentalibus diſcernat. Non raro euenit, vt in tentaminibus ipſis ex compoſito apparatu ad ſimpliciorem regredi queamus.

§. 264.

Collecta quadam obſeruationum et tentaminum copia, interdum periculum faciat inuentor, an ex iis concluſionem eruere poſſit. Id vero ab initio non ea ſpe fiat, vt ſe rem plane cogniturum arbitretur, ſed vt videat, an concluſioni propoſitiones praemiſſae ſufficiant. In rei itaque inueniendae cognitione verſatus, deficientes propoſitiones cognoſcat, vt laboribus continuatis paulatim ad veritatem propius accedat.

§. 265.

Ipſa quidem logica naturalis hac in re exercitatum reddit inuentorem. Quemadmodum vero, qui ſtudiis initiandi ſunt, per logicam artificialem ad res diſquirendas ducuntur, ſic eo magis inuentores hanc normam ſibi praeſcriptam eſſe intelligant. Logica quidem non ſubminiſtrat res, ſed ordinem: ſine ordine tamen idearum et propoſitionum fallax et manca eſt omnis cognitio humana, et verae demonſtrationis

ſtrationis filo carentes in labyrinthum idearum incidunt, ex quo euadere haud poſſunt.

§. 266.

Peccatur autem in vtramque partem: alii mathematica demonſtrandi ratione vtuntur, alii negligentius et ſine omni ordine, quicquid in mentem venerit, conſignant. Sed illi cogitent, methodum, quae initia ſcientiarum dirigit, non ſemper in ipſo vſu vitae et tractatione adhiberi poſſe, cum non compendia rerum, ſed taediofas ſaepe repetitiones offerat: hi vero perpendant, res inuentas, cum conſignantur, non eo ordine, quo ſe nobis offerunt, proponendas, ſed ad aedificii ſimilitudinem coniungendas eſſe, vt alii ordinem animaduertant. Arduum enim eſt, ea, quae confuſe ab aliis diſperſa ſunt, in demonſtrationis limites cogere, ita vt haud raro tales libros, ſine fructu lectos, negligamus.

§. 267.

Cum vero naturae vires et operationes, rite diiudicatae et explanatae, ad varias artes colendas applicari queant, cum ſcientia naturalis vitae communi, inprimis rebus oeconomicis, maxima exhibeat adiumenta, non reuocandi ſunt ii, qui contemplationem naturae eo dirigunt: hi vero, qui in medicinae commoda inuentoris officium ſuſcipiunt, omnino caueant, ne a via deflectant. Nimia certe rerum medicarum copia eſt, quae accuratos et attentos exigit inuentores: quilibet igitur, qui hoc officium ſubiit, finem certum ſibi praefigat, ne vagetur in multis, nec nouorum inuentorum ſpe excidat.

§. 268.

§. 268.

Cum vero non ſemper ad certam, ſed ſaepius ad probabilem tantum rerum demonſtrationem perueniamus, cum ideo hypotheticis interdum explicationibus vtendum ſit, ad has non protinus vno vel altero phaenomeno allecti properemus, ſed tunc demum, cum vera inueniendi ratio nobis praeclufa eſt. Nec hypotheſin, etiamſi per multa phaenomena probabilior reddatur, certam iudicemus, ſed ſemper cogitemus, nos in dubia re haerere, quae non niſi aſſiduis et diuturnis diſquiſitionibus expediri poteſt.

§. 269.

Porro etiam perpendamus, ſelectis quidem et definitis vocabulis in rebus declarandis opus eſſe, quo his ipſis verba reſpondeant: minime vero credamus, nos nouas res inueniſſe, ſi ad vires vel operationes naturae definiendas nouo forte vocabulo, vel antiquo in alium ſenſum mutato, vtimur. De crebris hac in re erroribus facile conuincimur, ſi definitiones logicis regulis conuenientes ſtruamus, easque crebrius vel cum natura rei, vel cum aliorum definitionibus conferamus.

§. 270.

Sufficiet haec tractatio, cum alia ad logicam preſſius pertinentia a nobis negligi, alia in ſpecialibus diſciplinis, ratione officii inuentoris nunc a nobis declarandis, melius explicari poſſint. Eſt enim in his magna differentia obiectorum diſquirendorum, et magna auxiliorum varietas, quae haud permittit, vt in ſingulis diſciplinis vnam eandemque ſequamur normam. Etſi itaque omnem diſciplinarum nexum attendere debet inuentor, veram tamen

cognitionem ob insignem rerum tractandarum copiam et varietatem assequi nequit, ideoque ad speciales doctrinas colendas se componat, et, si in vna vel altera cum laude versetur, satis se fecisse arbitretur.

SECTIO II.

DE OFFICIIS HISTORIAE NATVRALIS CVLTORVM.

§. 271.

Tanta rerum naturae est varietas, vt, cum homo, inter tot corpora naturalia constitutus, suum cum iis nexum cognoscere debeat, nunquam tamen omnibus numeris absolutam cognitionem acquisiturus sit. A scientiae naturalis cultore tamen vniuersalis quaedam corporum naturalium consideratio instituenda est, qui primum iis exerceatur contemplationibus, quae ex differentia partium in superficie positarum eruuntur, quo conuenientiam et discrepantiam corporum quodammodo cognoscat, et ita historicam corporum vniuersi cognitionem sibi paret.

§. 272.

Hac in re methodo opus est. Cum autem ad naturalem sic dictam, quae ex frequenti consideratione et comparatione omnium corporum inter se exsurgit, exercitatissimi tantum accedant, hoc exercitium in artificialibus sic dictis methodis positum est. Obseruatis nimirum in variis corporis partibus signis, eorumque arbitrario selectu facto, ad hanc normam corpora

corpora naturalia diſponit, ſeriemque eorum ordine quodam explicat hiſtoriae naturalis cultor.

§. 273.

Primo itaque ad ſigna, quibus corpora naturalia inter ſe diſtinguuntur, crebrius attendat, et per comparationem plurium corporum, ad eandem ſeriem rerum naturalium pertinentium, accuratam partis et ſigni inde petiti definitionem efficere tentet, vt hoc examine ſimul ad legitimam eorundem ſubordinationem deueniat. Id quod fieri nequit, niſi partem quandam cuiusque corporis naturalis praeſentem, et definitum ordinem ſignorum, ſiue characterum ſibi praefigat, ad quam partem diſquiſitionem incipiat et dirigat.

§. 274.

Vt igitur variis corporibus et ſignis ſigillatim diſquirendis aliquam facultatem conſequutus eſt ita iis etiam comparandis ſe exerceat et primo quidem generum characteres tanquam medios accurate perpendat, quo ex his ſelectis ex vna parte genera ſumma, hoc eſt, ordines et claſſes, ex altera vero ſpecies ſiue limites indiuiduorum et generum perpendere diſcat. Hanc exercitationem quilibet hiſtoriae naturalis cultor in variis ſeriebus corporum naturalium, et, ſi fieri poteſt, in vniuerſo ſtudio prius adhibeat, quam ad partem quandam huius doctrinae melius diſquirendam ſe conferat.

§. 275.

Haec ipſa, et introductoria quaſi cognitio, non ex iis ſcriptoribus petatur, qui corporum naturalium diſquiſitiones methodicas ſingulares in variis fami-

liis et classibus tradiderunt, cum hic labor nimius esset, sed vnum tantum ex iis, qui totum ambitum sua opera emensi sunt, eligat, quo generalem aliquam methodum sibi cognitam reddat: qua in re LINNAEUS in systemate naturae praecipue consulendus est §. 182. Licet enim non omnia disquirere potuerit ipse, et ita ab errore non immunis sit, ideoque alios in partibus doctrinae dissentientes habeat, summaria tamen consideratio totius regni naturae ex eo optime peti potest.

§. 276.

Quem ad modum enim tria naturae regna adeo ampla sunt, vt vnius hominis labor ea rite emetiri nequeat, sic quodlibet sigillatim consideratum hominis etiam industrii vires superat. Quod si igitur quis vnum tantum ex regnis naturae sibi disquirendum sumeret, ad veram tamen cognitionem accedere haud posset: nimia enim rerum copia ordinanda esset, quod non nisi aliorum laboribus in auxilium adscitis praestari posset. Aliorum tamen obseruationes repetendo ad noua inuenta ducimur.

§. 277.

Omnes ideo, qui aliquam tantum corporum naturalium familiam disquirere cupiunt, in eo naturae regno, ad quod ea pertinet, magis colendo per plures annos occupati sint: hoc enim labore facile inuenient aliquam doctrinae partem, quam prae reliquis attendant, et obseruatione ac comparatione signorum instituta perficiant. Sic in botanico studio alii gramina, alii muscos, alii vmbelliferas plantas separatim disquisiuerunt, et particularibus inuentis historiam vegetabilium illustrarunt.

§. 278.

§. 278.

Ita vero rem instituat, vt primum singularia corpora crebrius examinet, idque non tantum naturae ductu, sed etiam consultis aliis auctoribus: nec tantum signa, sed etiam definitiones partium, vel ab aliis propositas, vel a se inuentas accurate corrigat, vt iis non nisi determinatis vtatur: quo facto tot corpora naturalia, quot ipse disquirere potest, accurate describat, descripta in ordinem systematis redigat, ab aliis recte descripta inserat, et tandem corpora, quae incerta et dubia sunt, passim subiungat, et vlterioribus aliorum disquisitionibus commendet.

§. 279.

Quod si vero quis vnam tantum alteramque speciem in genere quodam suo studio explicandam seligat, is tamen generis totius ambitum recte disquirat, atque ad familiam vniuersam, ex qua hoc decerptum est, examinandam se conuertat. Hoc potissimum faciant ii, qui corpora naturalia ad materiam medicam referre volunt: nisi enim species recte definiantur, ambigua manent tentamina de vsu medico. In his tamen cunctis simul ad loca natalia et examen chemicum progrediendum erit, quod in antimonio, moscho, cicuta, rhabarbaro et valeriana facile declaratur.

§. 280.

Cum tanta sit corporum naturalium varietas, partes quoque externae, ex quibus definiri debent, maxime diuersae sunt. In his definitionibus recte efficiendis summa cura adhibenda est, quo vocabula, quibus in describendis partibus vtimur, penitus

definiantur. Euitandae hic certe sunt allegoricae dictiones, quae magis confundunt, quam instruunt, sed genuina potius partium descriptio ex figura, numero, situ, nexu et proportione partium, quantum fieri potest, petenda est.

§. 281.

Praeceptis his, quae historiae naturalis cultor in vniuersum, vt normam sibi praescriptam, sequitur, praemissis, ad specialem tractationem transire minus necessarium esset. Quoniam autem historica corporum cognitio omnium reliquarum disquisitionum fundamentum est, et praeterea hi labores a medicis saepius suscipiuntur, operae pretium esse duximus, in tribus naturae regnis sigillatim versari, et mineralogi, botanici et zoologi officia subsectionibus tribus accuratius definire.

SVBSECTIO I.

DE MINERALOGIS.

§. 282.

Non tantum in telluris superficie, sed et in intimis eius latebris obiecta regni mineralis dispersa sunt: hinc magnos exigunt in disquirendo labores: et cum eorum compositio, in minimis partibus scrutanda, nos haud raro non tantum ad aggregata, sed ad principia mixti deducat, difficultates haud vulgares in indagando se offerunt. Nemo itaque ad hoc opus se accingat, nisi idoneis viribus et animi et corporis instructus, quo absconditas naturae vias in regno minerali recte inueniat, nec, quae in his saepe proponuntur figmenta, credulus arripiat.

§. 283.

§. 283.

Vti vero in disquirendis corporibus regni vegetabilis et animalis, in quibus organica partium fabrica definita est, historicam cognitionem physicae praemittimus, sic in mineralogia, quae corpora ex principiis mixti in aggregatas particulas coalitas considerat, a physica corporum disquisitione incipiendum est, quo genesin eorundem bene attendamus: ipse enim particularum variarum mixti coalitus, concursu variarum causarum, ex similibus saepe principiis interdum corpora diuersa effingit, quae ideo non essentia, sed in quibusdam conditionibus accidentalibus differunt. Haec vero disquirendi ratio in terrarum et lapidum conuenientia praecipue necessaria iudicatur, cum in iis matrices aliorum fossilium corporum spectentur.

§. 284.

Et chemica corporum naturalium disquisitio in ordinandis vegetabilibus et animalibus vel prorsus negligi, vel cognitioni historico physicae tantum subiungi potest: in colenda autem mineralogia sedulus naturae indagator chemia carere non potest, quoniam phaenomena physica, quae historicae cognitioni praemittenda esse diximus, sine phaenomenis chemicis recte intelligi nequeunt: cum enim artefacta nonnunquam cum naturalibus comparanda, vel ex iis declaranda sint, vti ex salium natiuorum et artificialium natura satis superque patet, experimentorum chemicorum ratio multa, quae obscura sunt, declarat et perficit.

§. 285.

Quicunque vero disquisitionis physico chemicae habitum quendam acquisiuit, ad characteres externos, quibus inter se distinguuntur corpora fossilia quoque attendat: exigit enim haec historiae naturalis pars ob copiam rerum methodi siue aptae subordinationis adminiculum, et metallifossores in fossilibus distinguendis non tantum obscuras, sed et claras notiones crebra attentione offerunt. Non itaque dubium est, a rerum peritis tandem notiones distinctas, et ex his petitas definitiones fieri posse. Corporum cognitio ex fabrica externa antea definienda est, quam examen docimasticum instituatur.

§. 286.

Est itaque duplex in mineralibus definiendis methodus, alia quae ex chemicis experimentis eruitur, alia, quae ex signis externis patet. Illa internam indolem fossilium siue mixtionem, haec apparentem quandam differentiam indicat. Inuentoribus igitur, cum vtramque coniungere vix possint, in vna et altera sic versandum est, vt iis, qui fossilia in varia commoda vitae conuertunt, signa clara suppeditent.

§. 287.

Certum quidem est, plura corpora ex mineralibus arte producta, quam natiua, in medicos vsus impendi, et solent praeterea in mineralogia plura in vsus oeconomicos per examen chemico docimasticum conuerti, quam ad medicos: negari tamen nequit, ex his disquisitionibus in chemiam pharmaceuticam insignia redundare emolumenta, quae medicorum studium et in hac re incendunt. Rursus nonnulla egregia medicamenta mercurialia, martialia, antimonialia, cet. his inuentis illustrantur.

SVBSECTIO II.

DE BOTANICIS.

§. 288.

Pauca tantum medicamenta ex regno minerali petuntur, plura ex vegetabili. Nam praeter esculentas plantas, quibus maxima pars hominum nutritur, et in quibus praecipue ad culturae rationem respiciendum est, medicamenta simplicia, ex regno vegetabili mutuata, amplissimum catalogum efficiunt, qui recentiorum obseruationibus quotidie augetur. Accedunt venena, quae, vt in mineralibus iam multa sunt, in vegetabilibus plura, et diuersa nocendi facultate praedita inueniuntur. Cum itaque ex tanta rerum copia selectus instituendus sit, medicus omnino historicam cognitionem vegetabilium tantam, quantam vllo modo potest, quaerat.

§. 289.

Sed praeter insignem rerum contemplandarum copiam, aliae quoque sunt difficultatis caussae. Vegetabilia indigena non solum disquirenda sunt, sed plantae etiam exoticae, inprimis calidarum regionum, incolis temperatarum et frigidarum prouinciarum saepe vtiles sunt, quae tamen difficulter conquiruntur et examini subiiciuntur. Cultura quoque plantarum in hortis illas a natiua indole multum deflectit, et varietates vix satis definiendas efficit. In tanta tandem rerum copia methodicae dispositiones plantarum, a variis auctoribus conditae, discrepantiam characterum operose conciliandorum offerunt.

§. 290.

Ad difficilem hanc, sed summe necessariam disquisitionem plantarum, grata, quae in vegetabilibus se offert, varietate alliciuntur medici: opus tamen est, vt eam in partium, vegetabile corpus componentium, examine in compendio tractent. Inuentor itaque botanicus disquisitione vegetabilium crebro exerceatur, quo, essentialibus characteribus inuestigatis, et ab accidentalibus distinctis, definitiones partium plantae rite formet, et de his satis certus examen plantarum indigenarum saepius suscipiat, et in ea re efficienda systema aliquod aptum, vt normam, eligat.

§. 291.

Melius quidem cum eo ageretur, si, arbitrariis systematibus relictis, ad naturale deferri posset, quod conuenientiam et inde deductam subordinationem generum plantarum exhiberet: sed haec cognitio non nisi crebra et repetita disquisitione multarum plantarum ad normam diuersarum methodorum acquiritur. Quo autem magis vniuersalis reddatur, illud systema eligere praestat, quod omnes partes floris, tanquam praecipuas plantae, earumque figuram, situm, nexum, numerum et proportionem declarat: hoc enim exercitio ad praestantissimas methodos artificiales hactenus inuentas ducitur, easque vt normam sibi proponit, ad quam tot plantas disquirit, quot vel ipse crescentes videt, vel ab aliis descriptas ac pictas accipit, et eo progreditur, vt omnes recentius inuentas describere et in ordinem redigere queat.

§. 292.

In vniuersa botanica aequali studio versari, et omnium hactenus cognitarum plantarum examen

rite

rite inſtituere, aetatem et vires hominis ſuperat. Hinc ii, qui ſyſtemata ſtruunt, ad compilatores magis, quam ad inuentores referendi ſunt. Qui tamen hac in re vtiles eſſe cupiunt, in generum definitionibus maxime ſe exerceant, quo tandem ſpecies apte ſubordinare poſſint. Cum enim multae plantae exoticae, ad medicos vſus translatae, nondum ſatis definitae ſint, peregrinatôres, ſyſtematis norma inſtructi, varias addere, et accuratius diſponere poſſunt.

§. 293.

Qui in ré botanica munus inuentoris in ſe ſuſcipit, eamque in vſus praecipue medicos conuertit, is diſquiſitionem non niſi in locis natalibus ſuſcipiat. Hortorum cultura ſuo quidem vſu non deſtituitur, cum in academiis tirones artis ad cognitionem plantarum ducendi ſint: ſed vera deſcriptio generum, et praecipue ſpecierum in plantis cultis imperfecta tantum eſt, cum multae cauſſae occaſionales habitum plantarum, et inprimis partium proportionem, inſigniter mutent.

§. 294.

Et in diuerſis regionibus diſquiſitae plantae attentum omnino exigunt examinatorem. Migratio earum fere tanta fuit, quanta gentium, et multae nunc in Germania ſponte creſcentes plantae aduentitiae ſunt, non indigenae: ſolum enim, cultura correctum, multas nutrit, quas terra inculta et horrida non aluiſſet. Inde tamen natiua plantarum indoles adeo mutata fuit, vt, praeter figuram aliasque proprietates externas, vires, quae ex mixtione humorum pendent, inſignes paſſae fuerint mutationes. Semen in cultam terram immiſſum vegetationem omnino

omnino in toto ſuo progreſſu mutat, cuius rei ſpecimina plurima horti noſtri culinares oſtendunt.

§. 295.

Etſi vero multi nouis methodis inueniendis, generibusque et ſpeciebus ordinandis operam impendunt, plurimi tamen tantum nominibus ludunt, et falſam inuentionis rationem ſequuntur. Qui igitur patrias plantas, vel qui exoticas deſcribunt, nihil aliud quaerunt, quam vt vel accuratis iconibus, vel, quod melius effici poteſt, aptis deſcriptionibus plantas viſas tradant, et eos iuuent, qui inuenta aliorum colligere, et ſyſtemata plantarum vel ſtruere, vel corrigere intendunt; de quorum officiis nunc ideo quaedam addenda ſunt, quo nimiae librorum botanicorum copiae, et vario per hoc inclareſcendi ſtudio aliquo modo occurramus.

§. 296.

Icones bonae totum plantae habitum ſiſtunt, quod, cum ſaepe fieri nequeat, pars quaedam, veluti ramus, veram formam exhibeat, icone lineari in minima forma addita, qua nimirum creſcendi ratio oſtenditur. In icone porro bona, numerus, ſitus, nexus, figura et proportio partium exprimuntur, vt idea completa fiat. Partes enim, quae characteres genericos et ſpecificos conſtituunt, maiori cura delineandae ſunt, cum diſpoſitionis methodicae fundamentum contineant.

§. 297.

Icones lineis tantum circumſcriptae ſaepe ſatis accuratae ſunt, meliores tamen, ſi ſtylus chalcographi lucis et vmbrae partes, quas penicillum pictoris recte

recte expreſſit, ſuo modo aſſequitur. Viuis coloribus delineatae icones non diſplicent, ſed artis perfectionem indicant, paucae tamen veram coloris indolem, pauciores nitorem per plures annos conſeruant. Plantae exſiccatae iconibus praeſtantiores videntur, raro tamen tanta cum cura aſſeruantur, vt natiuam praeſtantiam referant.

§. 298.

Icones bonae, vel habitum totum, vel partium proportionem exprimentes, quamquam non tantum ab inſtauratoribus ſtudii, ſed etiam a recentioribus exhibitae, parciores tamen ſunt, et ab inutilium copia vix ſatis ſecerni poſſunt; ſumtus etiam nimii et artificum defectus botanicos ſcripta iconibus ornare, aut bibliothecam conquirere cupientes ſaepe impediunt. Delineationes itaque plantarum, quae verbis exquiſitis fiunt, perfectiſſimae ſunt. Nam, qui in definitionibus partium rite verſati ſunt, qui ipſi aptas et concinnas deſcriptiones tradere didicerunt, in lectione eiuſmodi ſcriptorum et comparatione cum plantis viuis ſatis inſtruuntur, ſi vel maxime minus exercitati inde parum vtilitatis capiant.

§. 299.

Ad deſcriptiones has exarandas planta viua tum conſideranda eſt, cum omnes eius partes ad iuſtam magnitudinem et proportionem adoleuerunt: paucis, ſed characteres rite exprimentibus verbis deſcriptio abſoluatur, ne diffuſa nimis dictio diſpliceat atque confundat. Si in planta adoleſcente, vel etiam flore iam priuata, in fructificatione aliquid notatu dignum occurrit, illud ſeparatim addatur. Solum

lum natale, tempus crescendi et florendi, et alia externa et accidentalia non negligenda sunt, cum eorum obseruatione essentiales characteres saepe magis illustrentur.

§. 300.

Cum plantae in variis auctoribus descriptae, vel delineatae, vel commemoratae inueniantur, pinax totius regni vegetabilis, qualem suo tempore exhibuit CASPAR BAVHINVS, non sine fructu foret velut index vniuersalis omnium librorum botanicorum. Sed de hoc instituto recte exsequendo nunc quidem, et in tanto ambitu rei herbariae, non amplius cogitare licet. Hoc opus enim, quod vnius hominis labore non perfici potest, etiamsi a societate eruditorum suscipiatur, dissensus tamen in generibus, speciebus et varietatibus constitutis tantus est, vt nunquam componi possit. Compendiaria magis tractatio sequenti forte ratione effici posset.

§. 301.

Si quis in plantis disquirendis satis exercitatus, et amplissima bibliotheca instructus esset, is in consignandis omnibus plantis systema aliquod aptum eligeret, et characteres genericos ex eo repeteret, paulo post species accurate examinatas subiungeret, et eos tantum auctores botanicos indicaret, qui vel accurata icone, vel apta et succincta descriptione plantam quandam declarauerunt. Praeter haec nomina, quae ad speciem definiendam summe necessaria sunt, interdum vtile esset, eos quoque scriptores commemorare, qui multa synonyma collegerunt.

§. 302.

§. 302.

In pinace tali ſpecierum vegetabilium, ſi magna cum cura elaboraretur, inuentores futuri ſeculi normam inuenirent, ad quam nouas plantas forte oblatas melius definire poſſent. Id enim agendum eſſet, vt generum characteres melius exprimerentur, horum ſubordinationes accuratius inſtruerentur, aptiores ſpecierum deſcriptiones et icones traderentur, et varietates, a cultura vel aliis cauſſis pendentes, certius ad veras ſpecies referrentur; non enim, niſi qui in his rebus cum cura verſantur, ad inuentionis gloriam in re botanica adſpirare poterunt.

SVBSECTIO III.
DE ZOOLOGIS.

§. 303.

Animalium hiſtoriam longe ampliorem eſſe, quam vegetabilium, inſecta declarant, et animalium varias claſſes inter ſe tantum differre, quantum animalia a vegetabilibus, ex iiſdem patet. Si igitur de hac hiſtoriae naturalis parte ab inuentoribus colenda nobis accurate agendum eſſet, in tanta corporum naturalium multitudine in partes abire, et quadrupeda, volatilia aliaque animalia ſigillatim examinare deberemus: ſi vero ea, quae antea in vniuerſum monuimus, huc trahamus, pauca, quae medicinam preſſius ſpectant, tantum commemorabimus.

§. 304.

Quicunque igitur hiſtoriam ſelectam animalium in vſus medicos declarare vult, is in vniuerſo ſtudio diu

diu multumque verſari debet, quo euidentes characteres notare diſcat, et ita ex optimis ſcriptoribus ea tantum animalia, de quibus in vſu medico quaedam certo definiri poſſunt, ſeligat, in ſyſtematis formam redigat, et genera ſpeciesque apte definiat. Si enim venenata et ſalubria animalia et ex his ea quoque, quae alimento inſeruiunt, eorumque partes conſiderarentur, catalogus ſatis amplus proponendus eſſet.

§. 305.

Poſſet tamen contrahi explicatio, cum multa animalia, quorum pinguedines, oſſa, carnes et aliae partes vſui alimentari et medico deſtinantur, analogiam quandam habeant. Si igitur praecipua animalia, medico vſui magis accommodata, deligantur, et ad methodi leges diſponantur, alia ex his diiudicari poſſunt. Caſtor, formica, vipera, hirudo quaedam ſpecimina huius diſpoſitionis exhibent, et forte alia his addi poſſent, ſi in hiſtoria animalium iam culta accuratius verſaremur.

§. 306.

Haec de animalium hiſtoria ad medicos vſus transferenda dicta ſufficiant: qui enim vniuerſam eorum hiſtoriam perficiendam ſuſcipit ei, praeter regios ſumtus, adiumento plurium doctorum hominum opus eſt. Vidimus tamen, quanta incrementa hoc ipſo ſeculo et animalium, inſectorum et zoophytorum cognitio ſumſerit et porro cognoſcimus, non ſolum in animalium figura externa, ſed et fabrica interna et aliis eorundem proprietatibus indagandis cum cura verſandum eſſe.

SECTIO

SECTIO III.

DE OFFICIIS PHYSICORVM.

§. 307.

Naturam vniuerſam ſcrutari, ardua res eſt, ac tum demum difficillima, cum in hoc opere ad principia corporum regredi intendimus. Mutationes telluris in ſolida ſua et fluida parte perpendere, nexum cum aſtris oſtendere, euolutiones tot organicorum corporum vſque ad aggregata et mixta producere, organicorum internam fabricam rimari, et motus ex cauſſis et effectibus declarare, omnium horum corporum conſenſum detegere, phyſicorum officium eſt. Sed quem ſcriptorem habemus, qui huic integro officio ſatisfecerit, et fundamenta ſic propoſuerit, vt medici in diſquiſitionibus partialibus iis vbique inſiſtere poſſint?

§. 308

Niſi tamen in his rerum naturalium principiis bene verſatus ſit medicus, nec in rebus ad phyſicam ſpecialem pertinentibus et ab eo porro colendis feliciter exerceri poterit. Homo enim, quem ſibi ſolum contemplandum elegit, a reliquis corporibus, inter quae habitat, varie afficitur. Speciales effectus attendit medicus, vniuerſales, a quibus hi pendent, phyſicus. Hic itaque in commoda medici multa diſquirere tenetur, vt conſectaria inde ducta ad machinam animalem potiſſimum melius applicentur.

§. 309

Perpendamus pauliſper quasdam communes corporum proprietates, quibus effectus; vt in vniuerſo,

uerſo, ſic et in corporibus ſingulis et praecipue in animalibus producuntur, quae omnes a phyſicis declarari debent: videbimus multam vbique obſcuritatem. Grauitas, attractio, elaſticitas, calor, frigus et ſimiles aliae proprietates corporum, ex cauſſis et effectibus declarandae, adhuc adeo in obſcuro latent, vt in phaenomenis deducendis et explicandis his non ſatis inſtrui poſſimus; in declaratione tamen motus aſtrorum, vegetationis, vitae animalis aliisque mutationibus naturalibus his vti conuenit.

§. 310.

Ex his cognoſcimus, quanta ſit neceſſitas doctrinae phyſicae generalis a medicis colendae: in his enim principiis mutationum corporearum diiudicandis verſati promptius ea et accuratius ad humanum corpus referre poſſunt. Eandem curam exigit elementorum ſic dictorum phyſicorum, aeris, ignis, aquae et terrae examen, a quibus ad principia mixti intelligenda deuenimus, quae vniuerſalibus naturae phaenomenis melius, quam metaphyſicorum tricis, et nonnullorum chemicorum aenigmatibus, indagantur et definiuntur.

§. 311.

Optandum itaque omnino eſt, vt interdum medici, in arte colenda ſatis verſati, ad generalem phyſicam cognitionem corporum reuertantur, et examen virium vniuerſalium et principiorum corporeorum eo animo inſtituant, vt iis in medica arte vti poſſint. Quod cum magis optandum, quam ſperandum ſit, operae tamen pretium erit, quaedam officia phyſici inuentoris, operam ſuam cum vſibus artis medicae copulantis, perpendere.

§. 312.

Cum cauta phaenomenorum collectio huius negotii fundamentum ſit, non tantum ea, quae in vniuerſo obſeruantur, ſed et quae nominatim in corpore animali eueniunt, attendenda ſunt. Etſi enim in diiudicandis functionibus animalibus difficillima de animo diſquiſitio occurrit, noſque haud raro confundit: mechaniſmi tamen leges et cauſſae phyſicae primo loco indagari debent, vt, quantum fieri poſſit, functionum rationes ex cauſſis et effectibus eruamus, et in iis declarandis applicemus.

§. 313.

Quoniam vero hic locus valde lubricus eſt, ideoque ſaepe ad hypotheſes recurrendum, vt, his cum phaenomenis comparatis, tandem aliquam lucem videamus, attendendum omnino eſt, nos, cum in motibus compoſitis corporum, qualis muſcularis eſt, ad cauſſas veras redire nequeamus, multo minus in iis, qui ex principiis primis phyſicis tantum declarandi ſunt, eo peruenire poſſe. Vti enim corporum monades in metaphyſicorum ſcholis magis ratiocinando, quam in phyſicis experiundo diſquiruntur, ſic etiam vires eorum, quae primae motus cauſſae ſunt, nunquam recte intelligentur.

§. 314.

In his rebus inueniendis facillime fallaciae in propoſitionibus praemiſſis obrepunt, ſaepiſſime non experientia inuentis, ſed potius aſſumtis fictiſque, ex quibus nunquam vera concluſio erui poterit. Haec ergo cognitio longe inferior eſt ſola phaenomenorum expoſitione, qua diſcimus, quid eueniat, etſi

 cauſſae

caussae ignorantiam ipsi profitemur, ad eamque indagandam vlterius impellimur, in hypothesi autem saepe id, quod euenit, negligimus, naturae vires fictis caussis adstringimus, et ita in disquisitione veri a tramite aberramus.

§. 315.

Quod si igitur caussas primas physicas non detegere possimus, neque haec ignorantia hypothesibus fictis tollatur: tutissima in hoc scrutinio via erit, quae per repetitas obseruationes et tentamina ad veritatem propius defert. Fictae nimirum caussae nos tantum non semper dubios relinquunt, sed etiam aliqua veri specie decipiunt: phaenomena autem quanquam nos non satis, sed ex parte tantum instruunt, ea tamen, quae in rerum natura eueniunt, sine fraude patefaciunt, et ordinem mutationum simul indicant.

§. 316.

Hoc praecipue perpendant medici, qui, dum in phaenomenis explicandis et applicandis ad caussas primas physicas recurrere tentant, semper ad fallaces explicationes ducuntur. Cum enim in fabrica solidorum et mixtione fluidorum solidorumque eo peruenire nequeant, vt per composita, aggregata et mixta, ad limites elementorum progrediantur, multo minus horum vires agentes detegere poterunt. Hinc in accuratis phaenomenorum collectionibus subsistant, obscuras ideas rerum, quas distincte cognoscere non poterunt, in claras tantum mutent, et ex effectibus inter se comparatis vires agentes definire conentur. In hac autem re, vt decet, perficienda et ab anatome et a chemia multum adiuuantur, de quibus nunc disserendum est.

SECTIO

SECTIO IV.

DE OFFICIIS ANATOMICORVM.

§. 317.

Fabrica corporum naturalium quoad partes ſolidas ſollicite indaganda eſt. In quibuſdam aliquis tantum coalitus, quem iuxta poſitionem dicere ſolent, vt in multis corporibus regni mineralis, obſeruatur: in aliis definita partium fabrica, per contextum celluloſum coniuncta, varia organa ſiſtit, per quae functiones corporum naturalium abſoluuntur, vti in regno vegetabili, et magis animali apparet. In omnibus his anatome, ſiue partium ſeparatio, ad compoſitionis rationem intelligendam ducens, adhiberi poteſt.

§. 318.

De vniuerſali hac anatome nobis nunc differendum eſſet: cum vero artificioſa partium diſſectio et praeparatio in corpore animali, et potiſſimum humano, magna cum cura inſtituta fuerit, et ita norma diſquiſitionis fabricae ſolidorum, in genere conſideratae, ex his pateat, reliquis omiſſis tractationem ad hanc ſolam dirigere placet, inprimis cum reliquorum corporum indagatio, ad fabricam detegendam apta, regulis nunc exhibendis optime abſoluatur.

§. 319.

Diſſectiones, quae diſquirendae fabricae cauſſa fiunt, in corporibus, ante obitum ſanis, ſuſcipiendae ſunt. Cum enim diſſectio vim ſolidorum in cada-

uere detegere nequeat, ideo tamen corpora, resolutionis morbosae vel verae putredinis labe haud infecta, dissecanda sunt, quo partium densitatem, colorem, aliasque proprietates accidentales optime reperiamus, quo facto essentiales, in figura, situ, nexu, numero et proportione partium positae, verius diiudicantur.

§. 320.

In hac corporum fabrica rite eruenda ordine vtendum est, ita, vt a maxime compositis visceribus et organis, rite inter se comparatis, subinde ad simpliciores partes progrediamur. Hinc situs et nexus ratio vniuersarum partium antea quaerenda est, quam partiales compositiones spectamus. Experientia enim docet, in his organorum et viscerum proprietatibus multa praeterita fuisse, quae nostris temporibus addita functiones partium accuratius declarant.

§. 321.

Et cadauera morbo defunctorum saepius et cum cura examinanda sunt, inprimis ab iis, qui in obscuris morbi signis hactenus occupati sunt, et saepe dubii haeserunt: ex his enim non tantum rationes mutationum morbosarum detegimus, sed comparatione partium, morbo mutatarum, cum sanis intimam partium fabricam melius definimus. Nemo autem ad hoc inuentionis genus dare se potest, nisi sani corporis fabricam antea bene disquisiuerit, et in vniuersa medicina satis exercitatus sit: hic demum in caussas et effectus sanitatis et morbi recte inquirit, signa inde elicit, et physiologiam praeterea ex pathologia declarare potest.

§. 322.

§. 322.

In hos vſus et zootomia tractatur. Etſi enim illi, qui ex fabrica animantium brutorum ad fabricam humani corporis concludunt, in errores deferuntur, multa tamen exemplo animalium illuſtrari poſſunt, ſi vnius viſceris et organi diuerſam fabricam in multis diſquirimus et inter ſe comparamus, quod ex canalis alimentorum fabrica patet. Multa etiam animalia in vna et altera parte corporis mechaniſmi praeſtantiam oſtendunt, qua functiones declarantur, vt in organis ſenſoriis et inſtrumentis motus.

§. 323.

In corpore humano autem fingere non licet, quae in animalibus brutis certo deprehendimus: hinc eiuſmodi diſquiſitiones non niſi ab iis ſuſcipiantur, qui antea partes has in homine accurate inſpexerunt, et, animalis bruti anatome ſimili ratione ſubiuncta, ad accuratam corporis humani anatomen reuertuntur, qua quidem comparatione crebriore rationem mechaniſmi animaduertunt, et ad viui corporis functiones applicant.

§. 324.

In his anatomicis ſtudiis quamuis multi verſati ſint, non omnes tamen leges inuentionis ſibi ſcripſerunt. Itaque ſi hos in vſus compilata opera, maxima tamen cum cura collecta, exhiberentur, profecto illi, qui animum ad definiendam corporum fabricam applicant, normam inuenirent, ad quam alia felicius obſeruare poſſent. Cum enim non quilibet hunc laborem ſuſcipere poſſit, ſed medicinae practici et alii naturae indagatores caſu saepius ad

diuerſa obſeruanda ducantur, opere tali exſequendo iuuandi ſunt.

§. 325.

Anatomico ſcalpellis praecipue et aliis quibuſdam inſtrumentis opus eſt, quae in ſeparatione partium nexum ſoluunt, et figuram, ſitum et proportionem, ideoque fabricam patefaciunt. Sunt et alia, quae inprimis vaſculoſum noſtrum corpus, exſuccum et collapſum, variis humoribus repleant, quod genus iniectionis ita optime efficitur, ſi liquores in fluida forma immiſſi poſtea quodammodo conſiſtant, vt aptiori cauorum, fluida naturalia continentium, diſquiſitioni locus detur. Qua in re eo quoque reſpiciendum eſt, vt nec tenues nimis ſint, et vltra limites ſe diffundant, nec craſſiores, qui ad minima vaſa non perueniunt; vtraque enim repletione nimia partium diſtenſio et mutatio inducitur.

§. 326.

Cum vero ſolidas partes denſiores contextus celluloſus rarior interiectus connectat, hic, vtpote humoribus magis ſcatens, maceratione ad initia putredinis perducitur, et ita reſoluitur, vt denſa ſtamina relicta ſtructurae modum melius oſtendant. Sceleti elaboratio oſſa ita a mollibus partibus ſeparare docuit: nec non in vaſis, materia quadam indurata et putredine reſiſtenti impletis, et in tendineis calloſiſque partibus, qualis cuticula eſt, eiuſmodi experimenta ſaepe ex voto ſuccedunt. Alia ratio indurationis eſt, qua ſpirituoſi et acidi liquores fibras quaſdam cogunt et partes melius diſcernunt. De balſamatione, non ad diſquiſitionem fabricae ipſius, ſed tantum ad conſeruatio-

uationem partium artificiofe praeparatarum vtili, nihil hic moneo.

§. 327.

Vbi multae partes inuicem coniunctae, ad vnam functionem pertinentes, difquirendae funt, fectionis rationem vario interdum ordine inftituere tenemur, quo, machina compofita variis modis inquifita, mechanifmi indolem melius detegamus, v. c. in cerebri difquifitione, vbi in molli parte ad directionem ftratorum medullarium refpiciendum eft, et a fuprema parte, et a latere, et ab inferiori bafi diuerfimode incipiendo fitus et nexus partium bene annotandus. Simili modo in multis mufculorum ftratis indagandis faepius per varia tentamina optima fecandi et indagandi ratio detegitur.

§. 328.

Subtiliffimam autem partium fabricam faepe vifus affequi non poteft, nifi vires oculorum microfcopiis ita intendantur, vt ad minutiffima valeant. Directionis et nexus vaforum minimorum aliorumque inuentionem his recentiorum obferuationibus debemus. Quilibet autem obferuator in hoc auxilio applicando bene exercitatus fit, ne obfcura videndo multa fibi fingat, quae, aucta oculorum acie, vere non detegit. Melius etiam hoc auxilii genus in partibus tantum diffectis applicatur, cum artificiofa vaforum repletio et maceratio multas partes deftruat, alias a naturali ftatu immutet.

§. 329.

Rebus nouis noua addenda funt nomina, quae, vt ideae coniunctae eo euidentiores fint, ex effentia

corporum ſumantur. Etiamſi vero multae res ab aliis iam minus aptis nominibus inſignitae ſint, et mutationes nominum in nouis et perfectioribus rerum deſcriptionibus omnino requirantur, a recepto tamen nomine non prius recedendum eſt, quam ſumma vrgeamur neceſſitate. Cum enim vocabula diu probata ex antiquioribus ſcriptis ſemper ſimul repetenda ſint, non ſine metu confuſionis negligi poſſunt. Et ſi tandem nouum nomen eligendum eſt, rei quoque deſcribendae accurate reſpondeat, nec ex arbitrio tantum inuentoris proponatur.

§. 330.

In iconibus etiam efficiendis natura rei, quantum fieri poteſt, exprimatur. Nam ſi in veterum ſcriptis vbique accuratiores deſcriptiones et pauciores icones inuenirentur, multae falſae rerum ideae his ipſis delineationibus in artem noſtram inductae non eſſent. Niſi itaque icon ad naturae ductum exarata ſit, niſi artifex in rebus delineandis exercitatus, melius omittitur icon, quae, vtpote viuidiore idea excitata, niſi accuratior deſcriptio ſubiungatur, ſaepe erroribus anſam praebet. Coloribus etiam perfectiores redditae icones non raro iis vitiis laborant, quae ſupra §. 297. de iconibus plantarum indicauimus.

§. 331.

Cum phyſiologia demum, fabrica partium et aliis naturae phaenomenis inter ſe collatis, ad vſum partium concludat, ex vſu autem iam cognito ſaepius falſa et hypothetica fabrica colligatur, ab initio de vſu partium non cogitandum eſt: ſi vero ad ſubtiliora

liora tentamina accedimus, et ſubtiliſſimas corporum partes euoluere ſtudemus, a mutationibus, in viuo corpore obſeruatis, non raro ad diſquiſitionem anatomicam ducimur, et tunc demum phyſiologus anatomicum dirigere poteſt, qui tamen, vt ſemper, ita tunc potiſſimum caute verſari debet.

SECTIO V.

DE OFFICIIS CHEMICORVM.

§. 332.

Non tantum in ſolidis, ſed magis in fluidis corporum naturalium partibus diſquirendis ad aggregatas, et ab his ad mixtas particulas, et tandem ad elementa ducimur. Difficilis et incerta haec diſquirendi ratio eſt, a veteribus iam tentata, et variis temporibus vario modo exculta. Cum igitur examen chemicum in rebus obſcuris verſetur, obſcuros ſaepe reddidit eos, qui eo vſi ſunt, et praeterea tantum non ſemper ad hypotheſes duxit, quibus artis ſalutaris dogmata ſaepe obſcurata magis, quam illuſtrata fuerunt. Recentiorum induſtria demum ex his tenebris aliquo modo emerſimus, quorum veris indagandi methodis accuratius inſiſtendum eſt.

§. 333.

Vbi itaque anatomici indagatio deſinit, ibi chemicus incipit, qui non ad fabricam corporum reſpicit, ſed eam ſuis adminiculis in partes minutiſſimas diſſoluit, nonnullas earum cum aliis iterum coniungit, et ita arte ſua mixtas et aggregatas particulas nouas producit, quarum comparatione cum naturalibus,

libus, harum indolem et naturam detegit. Ducitur vero chemicus ad hunc laborem intuenda naturae via, quam in genesi, incremento et resolutione corporum sequitur. Quilibet igitur chemicus rite attendat, quomodo in operationibus liberis naturae mutatio horum corporum succedat.

§. 334.

Aqua vero, aer et ignis sunt illa adminicula naturae, quibus corporum compagem dissoluit, et in minutissimas particulas, sensu non satis discernendas, diuidit, quae vel ipsa mixta sunt, vel vt instrumenta in alias crassiores aggregatas corporum particulas penetrant. Has volatiles et maxime mobiles particulas pars terrestris figit, et sibi ita iungit, vt magis conspicua mixta inde exurgant, quae salina et sulphurea inprimis principia exhibent, quorum primum ex terra et aqua, alterum ex terra et phlogisto, seu sulphure primigenio, componitur. In his mixti principiis limites cognitionis suae figit chemicus, quanquam et alias subtiliores mixtiones v. c. mercuriales, arsenicales, cet. nouit.

§. 335.

Cum autem nihil aliud, quam relatio minimarum corporis particularum ad se inuicem, quaeratur: nihil refert, si soluenda et soluentia et diuidenda et combinanda eiusdem saepius naturae sint; qualitatem enim physicam primam, ob quam hae particulae vel in cohaesionem nituntur, vel eandem turbant, a priori non declarare, nec affinitatis, attractionis et repulsionis caussas vere detegere possumus. Chemicus igitur eo labore acquiescit, vt minima aggregata vario modo consideret, et inde ad principia mixti

propius

propius accedat: ad vera enim elementa eorumque differentias et indolem nunquam rediri poſſe certum eſt.

§. 336.

Non improbamus inuenta eorum, qui chemiam ad initia cognitionis phyſicae deducere tentant: cum vero ſublimior ſit, et vera corporum elementa ſenſibus exponi nequeant, illos, vt caute verſentur, adhortamur. Hoc enim obſeruant ii chemici, qui in illis cognitionis limitibus ſubſiſtunt, vbi minima aggregata, vel vt mixta, vel vt aſſumta elementa, conſiderant, et ex horum compoſitione et diſſolutione diſcunt, quomodo eorum indoles ad compoſitionem corporum concurrat; quae quidem cognitio, quamuis imperfecta, certa tamen deprehenditur, et ita ad phaenomena naturae illuſtranda vtilis eſt.

§. 337.

Inuentor, ad hanc rem diſquirendam ſe accingens, primo diu multumque in phyſicis et ſenſui obuiis corporum mutationibus obſeruandis ſe exerceat, quo obſcuras ab initio naturae vias luculentius perſpiciat, et tunc demum ad phaenomena explicanda ſe conferat. Ignis potiſſimum, aeris et aquae vim in diſſoluendis corporibus attingat, paulo poſt coalitum corporum in primis initiis perſpiciat, quo his obſeruationibus inſtructus melius cognoſcat, in quibus rebus tentare aliquid et poſſit et debeat. Non dubium eſt, prima haec naturae phaenomena certiſſima eſſe inuentionis fundamenta.

§. 338.

Poſtquam vero, liceat mihi ita loqui, ex ampliſſimo laboratorio naturae mixtorum et minimorum aggre-

aggregatorum in anguſtos laboratorii chemici cancellos ſe contulit, inſtrumenta et actiua et paſſiua bene examinet: apparatum enim, quo adiutus experitur naturam, vaſa nimirum chemica, quoad figuram et materiam, ex qua praeparantur, bene cognoſcat, ignis potiſſimum gradus apte dirigere diſcat, aeris concurſum et mutationes inde euenientes probe attendat, et menſtruorum, quibus vtitur, veras dotes recte examinet.

§. 339.

In his menſtruis ſalinis, ſpirituoſis et aliis examinandis et ſeligendis multum temporis conſumat, et vti corpora naturalia per experimenta cognoſcenda ex hiſtoria et ſcientia naturali bene perpendere tenetur, ſic ea quoque corpora, quibus vt menſtruis ad inquirendam compoſitionis rationem et particularum indolem vtitur, bona et nullo modo inquinata conſeruet, ne hac ex cauſſa experiundo decipiatur. Ita namque naturae liberae phaenomena cognoſcens, artisque inſtrumentis vtens, diſſolutionem et compoſitionem aggregatorum corporum ſuſcipere, quae in his mutationibus eueniunt phaenomena attendere, et ita mixtionis rationem, quantum licet, declarare poteſt.

§. 340.

Poſtquam autem in variis experimentis diu multumque verſatus eſt inuentor chemicus, tunc, cum ampliſſimam artis huius cognitionem nemo ſolus acquirere poſſit, in vna atque altera doctrina rite proſequenda tantum perſiſtat. Quanquam autem non incongruum eſt, aliquam experimentorum ſeriem ſeligere, nemo tamen hoc praeſtare poteſt,

quam

quam qui diu iam multumque laboribus chemicis occupatus fuit. Si quis vero aliquam concatenatorum experimentorum tractationem absoluerit, serio perpendat, quid ex iis colligi possit, quo inde aliam seriem denuo adornare, et diuersa via ingrediendo partim fallacias detegere, partim ad noua inuenta duci queat.

§. 341.

Nimius certe labor est, vni corpori naturali disquirendo omnia menstrua et omnes operationes chemicas impendere; qua quidem ratione et plura phaenomena perspicimus, quam primo intuitu nos detecturos credebamus, et in tanto ordine vix errare possumus, nihilominus ea rerum copia distrahimur, vt, quid in his certum, aut quaenam vera corporum relatio sit, inuenire nequeamus, nec vnquam ad conclusiones euidentes perueniamus. Minime tamen negamus, hunc laborem iis maxime vtilem esse, qui in simili re versentur, quoniam amplissimos antecessoris labores examinantes ex iisdem seligere vtilia, et ita breuiore via ad disquisitionem certam peruenire possunt.

SECTIO VI.

DE OFFICIIS COMPILATORVM.

§. 342.

Potuissemus praecedentibus sectionibus, in quibus inuentorum officia in omni historia et scientia naturali, anatome, et chemia, quatenus potissimum medico vtilia esse possint, examinauimus, plura de compi-

compilatoribus adſpergere, cum is, qui inuenta aliorum colligit, et nonnulla de ſuo addit, iam ad inuentionis gloriam adſpiret: operae tamen pretium erit, pauca de officio compilatoris ſeorſim monere, cuius induſtria in ſtudiis porro colendis vſu non caret.

§. 343.

Nemo ad compilata opera colligenda ſe conferat, niſi iam aliqua ex parte inuentoris officium ſuſceperit, hoc eſt, eam doctrinam probe perſpexerit, cuius praecipua capita enarranda ſumit. Qui enim in examinandis rebus amplius progreditur, praeſtantiſſima inuenta, quae alii in vna vel altera diſciplina tradiderunt, cum ſuis comparat. Si igitur multos et doctrina illuſtres ſcriptores euoluerit, et ex iis optima excerpſerit, eius labor aliis prodeſſe poteſt, qui, bibliothecae copiis deſtituti, huiuſmodi compendii diuitias quaerunt.

§. 344.

Prima itaque eius cura ſit, vt in recenſendis aliorum ſcriptis ſe exerceat, ita tamen, vt inuenta et annotata praecipua tantum diſtincte proponat, ne ea, quae colligit, ipſis ſcriptis vberiora ſint. Hoc labore diu tritus praeſtantiam ſcriptorum ipſe examinet, et veros principeſque auctores a ſpuriis et imitatoribus probe diſtinguat. Illi enim ſuis inuentis inclareſcunt, hi vtplurimum aliorum oculis vtuntur, ſed eorum nomina ingrati reticent. Hac ex parte compilatores ad hiſtoriam literariam perficiendam multum conferunt.

§. 345.

Ipſe autem compilator fidem hiſtoricam ſancte ſeruet, ſcripta ſuperiorum, et optimas, ſi fieri poteſt, editio-

editiones indicet, quam rem licet alii flocci pendant, ad inuentorum tamen certitudinem multum conferre, apertum eſt. Interdum ſumma rerum propoſitarum tantum demonſtranda eſt, interdum integras deſcriptiones excerpere iuuat, vt rerum expoſitarum ratio id exigit, et vbique non confuſa, ſed in ſyſtematis normam diſpoſita conferantur.

§. 346.

Quoniam autem in rebus diſquirendis, et ad vlteriorem ſtudii culturam applicandis, ordine quodam opus eſt, ſyſtematicum omnino exigimus, quippe qui ſumma doctrinae capita indicat, et inuenta colligit. Alphabeticus et alii arbitrarii ordines ob ſynonymorum varietatem minus conueniunt, cum eos, qui inuentis vti volunt, ad nouum laborem optima excerpendi et ad ſingulas doctrinas referendi adſtringant. Optima quidem ea ſunt ſcripta, quae in capitum enumeratione totius operis ideam ſiſtunt, et in quibus accurati indices compendia doctrinae faciunt.

§. 347.

Vt autem librorum compilatorum vtilitas eo magis pateat, exhibeamus aliquot ſpecimina. Anatome practica, cadauerum morbis defunctorum ſcrutinium ſuſcipiens, a multis medicinae practicis colenda eſt: vtilem ergo operam ſumeret, ſi quis vel ad normam partium corporis humani, vel morborum praecipuorum, ea diſponeret, quae ab auctoribus fide dignis paſſim annotata ſunt: quodſi ſelectus in excerpendo fiat, opus erit omnibus medicinae practicis vtiliſſimum.

§. 348.

Sed res eget viro, in re anatomica et curationibus morborum pari ſtudio exercitato. Quod ſi, qui opus aggreditur, in re anatomica magis, quam in medela morborum verſatus ſit, illum laborem ad ordinem partium anatomicum exigat; alius vero, qui in arte medendi diutius tritus eſt, quam in ſectionibus cadauerum, ea, quae ad ordinem morborum receptum pertinent, excerpere poſſit. Sic duplex et diuerſus labor eſſet, vterque tamen vtilis, cum non tantum animos obſeruatorum inſtrueret, ſed etiam ad noua addenda excitaret.

§. 349.

Anatome brutorum animantium ob diuerſam fabricam multa offert, quae corporis humani anatomen illuſtrant. Si quis ergo, in anatome corporis humani optime verſatus, ea, quae in variis ſcriptoribus de his partibus in anatome brutorum animalium annotata ſunt, colligeret, in ordinem digereret, iiſque traderet, qui in phyſiologia vſum partium declarare ſtudent, maximum certe commodum praeſtaret, quoniam functiones analogas, auctas et imminutas, melius attendere, et oeconomiae animalis rationem in vniuerſum accuratius definire poſſent.

§. 350.

Plura exempla operum compilatorum, quae medicinae ſtudioſum ſummopere iuuarent, deſcribi poſſent; cum autem omnium diſciplinarum loca ſingula denuo repetere nolimus, nonnullorum ſummam indicabimus. Salium natiuorum et artificialium examen, vires medicamentorum ſpecificae, vegetabilia et animalia in vſus alimentares adhibenda,

da, experimenta et obſeruationes de contagiorum efficacia, experimenta de ſanguinis natura, et multa alia, quae ſpecialiores doctrinas concernunt, in compilatis operibus tradi et ad medicinam illuſtrandam conuerti poſſent.

§. 351.

In genere etiam monendum eſſe arbitramur, quemlibet, qui vnam aliquam doctrinam v. c. deſcriptionem nerui, arteriae vel venae inſignis, vel morbi cuiuſdam, vel remedii alicuius ſingularis, examinandam ſibi ſumat, non leuem operam praeſtare, ſi, antequam ſua obſeruata et inuenta proponat, ex hiſtoria medica literaria omnia cogat, et ordine tradat, quae hac de re iam antea propoſita fuerant. Varia enim huius rei ſpecimina, a nonnullis auctoribus edita, vtilitatem huius inſtituti luculenter declarant.

CAPVT III.

DE MEDICO PROFESSORE.

§. 352.

Si de officio profeſſoris medici pro rei dignitate exponendum eſſet, ampliſſima foret tractatio, cum ii, qui medicinam docent, totius diſciplinae quaſi rectores ſint, eorumque officia hanc ob cauſſam maxime ardua eſſe debeant. Et diſcentibus haec officia nota eſſe debere arbitramur, cum, vt doctrina melius vti poſſint, inſtitutionis ratio quodammodo cognoſcenda ſit. Ne vero a compendiaria noſtra tractandi ratione nimium recedamus, non niſi praecipua argumenta breuiter tangemus.

§. 353.

Summam autem officiorum medici profeſſoris non accuratius proponi poſſe arbitramur, quam ſi has ſectiones examini ſubiiciamus.

Sectio I. De cultura vniuerſi ſtudii.
II. De aequitate in diiudicandis inuentorum laboribus.
III. De ſolertia in applicandis aliorum inuentis.
IV. De ſyſtemate vniuerſae medicinae ſtabiliendo.
V. De methodo tradendi diſciplinas medicas.

SECTIO I.

DE CVLTVRA STVDII VNIVERSI.

§. 354.

Qui in ſcholis medicis omnes diſciplinas et doctrinas ſibi familiares reddunt, per ſingulas quidem partes ordine quodam ducuntur, totum vero ambitum non citius, quam finitis ſtudiis, diiudicare poſſunt. Vt itaque, qui ad faciendam medicinam ſe conferunt, omnes diſciplinas non ſine magno fructu repetunt, ſic ii praecipue, qui vel ad vniuerſam doctrinam, vel ad partes quaſdam in praelectionibus tradendas ſe conuertunt, maxima cum cura eo reſpiciant, vt omnium diſciplinarum medicarum nexum intelligant.

§. 355.

Multi quidem arbitrantur, profeſſores in ſua arte excellentes eſſe non poſſe, niſi vnam tantum vel alteram diſciplinam ſuae diligentiae eligant, nec poſſe aliquem

aliquem vniuerſum doctrinae medicae ambitum plane emetiri. Cum autem, quicunque vnam et alteram partem medicinae docet, omnem hanc doctrinam ad vltimum finem dirigere debeat, officium profeſſoris omnino ad vniuerſam artem valere videtur. Qui enim theoreticas diſciplinas tradit, eas ita explicet, vt eorum vtilitas ad praxin transferatur; qui in practicis diſciplinis tradendis verſantur, ex theoreticis fundamenta rerum diiudicandarum mutuare tenentur.

§. 356.

Cum item nemo docendi munus recte ſubire poſſit, niſi de rebus proponendis certus ſit, non ſufficit, hiſtoricam tantum cognitionem rerum medicarum ſibi acquiſiſſe, ſed vera vbique demonſtrationis ratio exigitur, ea ſcilicet, quae ex principiis, quantum fieri poteſt, certis deriuata, concluſiones veras efficit. Qui enim in ambiguis doctrinis verſatur, et opiniones aliorum tantum refellit, vel vt dubias proponit, is ſuae doctrinae alumnos ſemper dubitantes dimittit, nec eis veram ſcientiam tradit. Leuem enim et fluctuantem cognitionem ipſi variis libris perlegendis conſequi potuiſſent.

§. 357.

Poſtquam igitur in vniuerſo ſtudiorum ambitu certa ſelegit, et ita ſcientiam tantum, quantum fieri potuit, confirmauit, hypotheſes etiam aliqua cum cura examinauit, ne ad eas amplectendas fraude auctoritatis, facilitate explicationis, et nouitate rei trahatur; poſtquam in contemplatione phaenomenorum diu occupatus fuit, et ex iiſdem fundamenta probabilia hypotheſium cognouit, et haec reliquis

 doctri-

doctrinis iunxit; tunc ſyſtema doctrinae ſuae partim ex veris inuentis, partim ex probabilibus concluſionibus ſtruat.

§. 358.

Antequam autem de hoc eius officio in capite quarto exponamus, et profeſſorem de ſyſtemate ſuo certum exhibeamus, oſtendendum eſt, quomodo hac in re et aliis medicorum laboribus recte vtatur. Nemo enim id ſibi ſumere poteſt, vt ſolus phaenomena obſeruando colligat, tentamina inſtituat, et veras tandem concluſiones eruat, ſed crebra librorum lectione aliorum inuenta et opiniones cognitas ſibi reddat, et ex iis decerpat, quae ad res in vniuerſo ſtudio explicandas proſunt. In hac autem re aequitatem in diiudicando et ſolertiam in applicandis inuentorum laboribus ſedulo obſeruet.

SECTIO II.

DE AEQVITATE IN DIIVDICANDIS INVENTORVM LABORIBVS.

§. 359.

Si hiſtoriam literariam medicam percurrimus, alios, qui in rebus indagandis non rite verſati ſunt, iam notatos, alios, qui in hoc labore veram normam ſequuti ſunt, laudatos deprehendimus. Huic autem iudicio non inhaerere poteſt profeſſor, ſed ei tantum ſufficiat, fata literarum ex hiſtoria intelligere, praeſidia culturae inter varios populos et in variis ſcholis attendere, inde de praeſtantia vnius alteriusque auctoris iudicare, idque iudicium crebra eius lectione confirmare.

§. 360.

§. 360.

Caueat autem ſibi a *facili* in omnibus aſſenſu, ſi forte quaedam noua, ſelecta, et bene elaborata deprehenderit, nec prorſus contemnat eum, in quo paſſim incerta inuenerit: ſed cum in quolibet libro quaedam bona malis mixta ſint, ſelectu rerum caute vtatur, relictisque dubiis incertis et falſis, non niſi bene expoſitas et demonſtratas ſeligat. Quod autem quilibet iudicando falli poteſt, ideo communia eruditionis praecepta, hic maxime neceſſaria, ſibi familiaria reddat, et normam rerum diiudicandarum inde formet.

§. 361.

Scriptores medico phyſici varia ratione operam ſuam ad artem colendam conferunt. Aut enim tentamina varia cum iuſta induſtria et optimo ſucceſſu inſtituunt, aut tentamina aliorum colligendo, ipſasque naturae mutationes obſeruando, aliquam ſolertiam exhibent, aut in inſigni rerum varietate praecipua attendunt, aut tandem veris logices principiis imbuti cuncta obſeruata ſuis locis inſerunt, et ita ad ſyſtema artis ſalutaris in vna vel altera doctrina haud contemnenda inuenta addunt. Quilibet igitur ex ſuo fine diiudicandus eſt.

§. 362.

Vti itaque priorum ingenium et in tentaminibus inſtituendis dexteritatem admiratur profeſſor, ſic in ſecundo genere copiam rerum obſeruatarum et perſpicuitatem in phaenomenis rite colligendis laudat et aſſequi tentat. Quamquam enim ex his pauci ad veras concluſiones accedunt, ſed vagis tantum obſeruationibus detinentur, largam tamen inuento-

rum copiam praebent, quae ille vel vt iam abſoluta ſumit et in naturae mutationibus explicandis adhibet, vel, ſi quid deſit, eorundem repetitionem aliis inuentoribus commendare poterit.

§. 363.

Iam etſi ii, qui veris principiis logicis inſtructi § 361. ad ordinandas ſcientiae medicae doctrinas progrediuntur et concluſiones eruunt, raro ad eam perfectionem perueniunt, qua adiuti vniuerſum et ex omni parte abſolutum ſyſtema exhibeant, ille tamen, qui inuentores bene examinauit, eos etiam facile diiudicare poterit, qui in vna vel altera doctrina declaranda aſſenſum merentur, et, cum ita ſelectum inſtituit, diſciplinae ſuae alumnis eos prae reliquis commendat, qui in veris inuentis definiendis cum cura verſati ſunt, eaque ſuccincte et accurate tradiderunt.

§. 364.

Non laudamus eos, qui hypotheſibus indulgent, neque tamen reprehendimus illos, qui iis ad veritatem indagandam vtuntur. Difficillimum tamen laborem in hypotheſium ſcrutinio ſuſcipit profeſſor; non ſolum enim veritatis gradus per hypotheſes definitas examinare, ſed ſimul perſpicere debet, an hypotheſeos fundamenta aliquo modo corrigi queant, quo a veritate propius abſint. Inprimis vero opus eſt, vt ſuis diſcipulis cauſſam detegat, quae nonnullos ſcriptores ad erroneam quandam hypotheſin deduxit, ne horum virorum doctrinam prorſus fugiant, ſed tantum eam rem, in qua errarunt, negligant et corrigant.

SECTIO

SECTIO III.

DE SOLERTIA IN APPLICANDIS ALIORVM INVENTIS.

§. 365.

Qui, acquiſita totius artis ſalutaris cognitione, per multos annos in euoluendis et diiudicandis libris medicis occupatus fuit, is interea alia ſimul obſeruauit et tentauit, et eam dexteritatem ſibi comparauit, vt rebus cognitis in demonſtrationibus variarum doctrinarum vti poſſit. Cum igitur felici memoria magnam rerum copiam comprehendat, adumbrationem ſibi format, ad quam varia auctorum inuenta, nunc denuo perluſtrata, conſignat.

§. 366.

Cum res, de quibus agitur, ſollicite definiendae ſint, antequam ad vlteriorem earum conſiderationem progrediamur, primam curam in definitionibus ponendam eſſe, illico patet. Quoniam autem corporum naturam eorumque primas affectiones deſcribere difficile eſt, explicationes, ex quibus vera ratio definitionis patet, accurate ponderentur: inde intelligetur, vtrum alii auctores, quos in doctrina noſtra ſequimur, rem ſtrictius, an latius dixerint, et quilibet neceſſariam definitionem efficere poterit.

§. 367.

Definitiones verbales ad veram notionem ſaepe non ſufficiunt, reales vero vix ſemper effici poſſunt. Si itaque res nondum ſatis definitae vlterius decla-

randae ſunt, characteres ſpeciales tot, quot ſuppetunt, congerantur, vt loco definitionis, quae completa reddi nequit, deſcriptio vberior exhibeatur. Cum enim defectus cognitionis in fabrica et mixtione corporum vbique ſe prodat, ex eſſentia tamen definitio rerum deducenda ſit, id curae eſſe debet doctori, vt ea, quae proponit, per claras ideas ad diſtinctas ducat, idque in via phaenomenorum rite diſquiſita efficiat.

§. 368.

Hoc omnium optime fieri poteſt, ſi obſeruationibus vel ſuis vel aliorum apta ſerie recenſitis naturae operantis vires deſcribantur. Quicquid igitur de ſucceſſiua mutatione cauſſarum et effectuum dici poteſt, id colligit et ſuis demonſtrationibus inſerit profeſſor. Quae contemplatio, quanquam vaga, tamen non negligenda eſt, quoniam ſenſim ad completas ideas ducit, et nos ita dirigit, vt in diſquirenda natura corporum quotidie ad ſcientiam, quam nunquam perficere poſſumus, propius accedamus, et ab ignorantia erroreque remoueamur.

§. 369.

Per hanc nimirum et diſcendi et docendi methodum eo peruenit profeſſor, vt ex definitionibus, per phaenomena illuſtratis, theoremata nonnulla vt fundamenta theoreticarum diſciplinarum eruat, et ad practicas applicet. Quamuis vero probabilia multa agnoſcat, ideoque nondum ad concluſiones certas perueniat, tamen, dum quaedam definita et certa ſint, ab his ad incerti limites tranſit, et futuris ac ſingularibus obſeruationibus aliquid concedit. Sic enim doctrinae, quae nondum prorſus expoſitae ſunt,

ita

ita tamen patent, vt, quidquid ſua et aliorum opera addendum ſit, perſpiciat.

§. 370.

Quando, quae certa ſunt, vel ad certitudinem quam proxime accedunt, ita perfecit, vlterius et in rebus adhuc dubiis, vel prorſus incertis, attente verſatur, et in animaduerſionibus ea addit, quae, niſi probari poſſint, ad res illuſtrandas tamen omnino pertinent. Recenſet igitur denuo ſeriem quandam obſeruationum, et quae ab inuentoribus adhuc praeſtanda ſint, proſequitur, quo ſe ipſum et alios magis magiſque certiores faciat. Crebra nimirum et attenta librorum lectio ad obſeruationem phaenomenorum ducit, et nouorum inuentorum examine ſcientiam, ob imbecillitatem humanae cognitionis ipſam quoque imperfectam, auget et confirmat.

SECTIO IV.

DE SYSTEMATE VNIVERSAE MEDICINAE STABILIENDO.

§. 371.

Ab hoc labore ſuſcipiendo deterrere quidem nos poſſet minus apta ſyſtematum hunc in diem vſque ſtabilitorum ratio, non raro ſolis hypotheſibus ſuperſtructorum. Multi enim inuentores, qui in ſingularibus doctrinis operam collocant, ſemper deſpiciunt ſyſtematum conditores, et audacter affirmant, nondum totius artis medicae ſyſtema perfici poſſe: quod quidem iiſdem lubenter concedimus, ſimul tamen vrgemus, ordinem et nexum doctrinarum ad colendam cum fructu medicinam omnino requiri.

§. 372.

§. 372.

Nemo autem ad ſyſtema condendum aptus eſt, niſi qui omnes diſciplinas praeparantes accurate peruestigauit, et in medicina ipſa docenda faciendaque ſimul occupatus eſt; is enim fundamenta diſciplinarum a priore parte ex phyſicis, anatomicis et chemicis doctrinis declarare tentat, et dum in docendo applicationem inuentorum, et in cura aegrorum mutationes ſic dictas praeternaturales perpendit, eaſque cum ſanis functionibus comparat, viciſſitudines motuum machinae animalis earundemque rationes egregie perſpicit: ideo nexum diſciplinarum in theoria et praxi cognoſcat.

§. 373.

Neque deficiunt ſyſtemata doctrinae medicae, quae omnem nexum diſciplinarum accurato ordine tradunt, et per quae tirones medici ad veram rerum medicarum cognitionem ducuntur. Nec his opus eſt, vt ex ſcholis egreſſi noua ſyſtemata condant; dummodo in partibus ad totum applicandis cum cura verſentur, in eorum laboribus neceſſitatem et egregium vſum, in diſcenda, colenda et facienda medicina, cognoſcimus, cum ſyſtema, quod non condiderunt, opera tamen ſua perficiant.

§. 374.

Longe alia eſt ratio ſyſtematum, quae non ſententiis veris, ſed opinionibus ſuffulta ſunt. Nam, qui chemicis mixtionibus et operationibus nimium inhaerent, neglecta fabrica corporum, vel qui mechaniſmum corporis nimium vrgent, omniaque ex ſola partium fabrica declarare annituntur, et proinde mixtiones chemicas prorſus negligunt, falſas ſen-

tentias

tentias proponunt. Sed hypothetica haec ſyſtemata non diu tenuerunt, quoniam in iis maximus ille vſus ad doctrinam et praxin non inuentus eſt.

§. 375.

Cum autem non quilibet profeſſor ſyſtema medicum vniuerſale condere poſſit, tirones tamen artis ad eius ductum inſtituendi ſint, illi, qui ad hoc opus perficiendum nec otium nec vires ſentiunt, ſyſtema aliquod, quod ipſis prae reliquis placet, eligere tenentur: niſi enim ordine quodam et nexu, et inde doctrinarum variarum comparatione ad vltimum medicinae finem ducantur, ſemper errant, et vagi mox huc, mox illuc ruunt, dubias propoſitiones vt certas arripiunt, ſententias ſuas ſaepe mutant, contrarias eligunt, et, cum ad perfectionem nunquam accedant, ab ea tamen, quam attingere potuiſſent, nimium recedunt.

§. 376.

Verum omnibus numeris abſolutum ſyſtema, hoc eſt, tale, quod ex primis iiſque certis principiis concluſiones omnes in medicina eliciendas deducit, imbecillitati humanae cognitionis non datur. Cum enim multa ex collectione phaenomenorum concludi debeant, hypotheſes fere ſemper adſperſae ſunt, quae ordinem demonſtrationum, exceptionibus additis, ſaepe turbant. Inde tamen non ſequitur, cum ſyſtema omnibus numeris abſolutum fieri nequeat, nullum omnino ſtabiliendum eſſe.

§. 377.

Nobis itaque dicitur ſyſtema totius artis medicae, ad excellentiam euehendae, is doctrinarum ordo, qui omnes

omnes corporis ſani et aegri mutationes ex principiis phyſicis anatomicis et chemicis, non ſeparatis, ſed coniunctis, declarat, et id, quod ex defectu primae cognitionis explicari nequit, per phaenomena oſtendit, eum quidem in finem, vt in applicatione ad diſciplinas practicas normam concluſionum exhibeat. Eiuſmodi enim ordo ex diſciplinis theoreticis ad practicas ducit, nec in medicina facienda vſu deſtituitur.

§. 378.

Hanc ob rem non ampliſſimum illud, quod ſupra in tabula ſynoptica medicinae delineauimus §. 92. ſyſtema elaborandum eſt, ſed ſufficit, praemittenda generalia et ſpecialia ex aliis auctorum libris cognouiſſe, medicinam theoreticam in phyſiologia, pathologia et therapia vno nexu tradidiſſe, et aliis tantum applicationem in medicina practica permittere. Praemiſſae enim obſeruationes et tentamina in ſyſtemate in concluſiones generales coguntur, quo in practicis diſciplinis ſpeciales inde fluant.

§. 379.

Omnes itaque, qui verum totius ſtudii medici ſyſtema neglexerunt, vel in ſubtilibus, ſaepe tamen fictis, rerum explicationibus verſantur et ſubſiſtunt, ideoque, quid in curatione morborum agendum ſit, nunquam certo intelligunt; vel mutationes morborum et methodum medendi ad hypotheſes, ſaepius precario adductas, adſtringunt et ſemper falluntur; vel tandem in ſola empiria per rationem nunquam correcta acquieſcunt, nec a vera naturae contemplatione, ſed tantum fortuitis effectibus ducuntur.

SECTIO

SECTIO V.

DE METHODO TRADENDI DISCIPLINAS MEDICAS.

§. 380.

Quicunque in addiſcenda medicina ad normam boni et accurati ſyſtematis ductus, et in diſciplinis quoque praeparantibus ſatis exercitatus eſt; ſyſtema a praeceptore acceptum correxit, vel aliud ipſe multa cum cura condidit, et arte facienda perſpexit, quid certum, quid dubium, quid falſum in concluſionibus ex praemiſſis propoſitionibus ductis inueniatur, ille demum hunc ordinem ſibi electum et definitum vere perpendere, aliis exponere et excellentiam artis vt profeſſor in ſua inſtitutione tueri poteſt. Qua methodo autem hac in re verſandum ſit, nunc diſquirere placet.

§. 381.

Eodem autem modo, quo ipſe vel formando, vel eligendo et examinando ſyſtemate, ſe inſtruxit, alios inſtruat. Delineationes vel integrarum diſciplinarum, vel ſingularium doctrinarum adumbret, vbique nexum rerum proponendarum exhibeat et repetendo inculcet, definitiones vel reales tradat, vel verbales illuſtret, earumque praeſtantiam ex aliorum et ſuis obſeruationibus oſtendat, inde theoremata eliciat, et in fine animaduerſiones ſubnectat. Sic doctrina vna abſoluta, ad alteram progrediatur, et nexum omnium vel confinia declaret.

§. 382.

Quoniam autem tirones, quorum intereſt initia noſſe, rerum copia et varietate nimia non obrui debent, doctrina profeſſoris non compilata et vndique decerpta rerum farragine turgeat, ſed ſelectu inuentorum ſe commendet. Ante omnia igitur ſuccincta explicatione earum propoſitionum, quae doctrinarum fundamenta praebent, vtilis ſit, nec occaſione verborum explicandorum ad alias res diuagetur, ſed veram ſignificationem veraque pondera verborum declaret, vt ii, qui explicationem repetendo infigere ſibi velint, verba ipſa perpendere et ideas his iunctas animo recte informare queant.

§. 383.

Selectas has propoſitiones ita examinet, vt vim probandi in iis oſtendat, vt, quantum quidem fieri poteſt, de rerum veritate conſtet, ne tirones medici, ſi quando in aliis auctoribus alias et diuerſas ſaepe rerum demonſtrationes inueniant, a vero tramite aberrent. Hanc ob cauſſam etiam neceſſe eſt, vt in quibuſdam, inprimis controuerſis doctrinis, praecipui adducantur auctores, vel conſentientes, vel diſſentientes, quorum nomina et opiniones breuiter tantum in vſus hiſtoriae literariae annotentur, quo eas in poſterum examinare poſſint. Monendi tamen ſunt tirones, ne ad lectionem horum auctorum, ante ſedulam rerum propoſitarum repetitionem, ſe conferant.

§. 384.

In magnis et vtilioribus controuerſiis, vbi quidem diſſenſus diſcentes confundere poſſit, ſucceſſiue et ad ductum hiſtoriae literariae medicae laudentur

dentur auctores, eorumque variae ſententiae, additis non tantum dubitandi rationibus, ſed etiam diiudicandi fundamentis, inprimis vero phaenomena naturae praecipua enumerentur, ad quae in probatione reſpiciendum eſt, quo tandem vltima et certis argumentis munita ſententia proponatur, et eius dignitas prae antecedentibus declaretur. Hic ordo etiam tunc ſequendus eſt, cum hypotheſis ſola adduci poteſt, vera demonſtrandi ratione nondum inuenta.

§. 385.

Quoniam non omnia accurate demonſtrari poſſunt, ſed eius cognitionis, ad quam naturae indagatorum induſtria peruenit, ſaepe arcti ſunt limites, medicus profeſſor eos tantum, quantum vllo modo fieri poteſt, extendat, doceatque, quibus de cauſſis vltra excurrere nequeat, quaenam nimirum cauſſae ſint limitatae cognitionis, quid ad res vlterius enodandas tentandum ſit, quid ſequentibus temporibus addi poſſit, vel quaenam naturae vires indagationem completam haud admittant.

§. 386.

Erudita hac rerum demonſtratione et explicatione auditorum ſuorum aſſenſum commouere tentet, neque, dum obſcuras res proponit, audacter affirmet, ſibi de his perſuaſum eſſe, quo creduli ſaepe alumni tantam doctrinae excellentiam, quam aſſequi non poſſunt, tamen coeci admirentur. Nec alios doctores riſui exponat, cum illuſione eorum dicta contemnens, multo minus ſententias eorum callide inuertat, vt falſi ſpeciem prae ſe ferant. Friuolae hae docentium artes non tantum eruditionis vniuerſae et praeſtantiſſimorum auctorum contemtum

 pari-

pariunt, ſed vere tandem auctoritatem doctoris ipſius, ſi fucus abſtergitur, imminuunt.

§. 387.

Vox viua efficacius docet languida librorum lectione. Id itaque praecipue agant doctores, vt oratio grauitate vocis, res ordine placeat. Iam etſi non conſultum videtur, artis ſubtilitatem oratorio vel poetico ornatu inueſtire, cum obſcuritas ex ambiguitate vocabulorum naſcatur, minime tamen laude priuandi ſunt, qui verba, inprimis ea, quae res arduas explicant, acriore quodam ſono auribus et animis diſcentium magis imprimunt. Diſciplinas praeterea, quarum optima fundamenta libris latinis expoſita ſunt, latino etiam ſermone exponant.

CAPVT IV.

DE OFFICIIS MEDICORVM PRACTICORVM.

§. 388.

Accedimus tandem ad officia medicorum practicorum, quae prae reliquis examinanda nobis ſumſimus, quoniam plurimi ex diſciplinae noſtrae alumnis ad medicinam faciendam ſe conferunt, ideoque docendi ſunt, quomodo fundamenta doctrinarum, hactenus percepta, recte perpendere, vlterius colere, ex praemiſſis propoſitionibus concluſiones ad ſanitatem hominum conſeruandam reſtituendamque deriuare, et omni tempore obſeruationes ita ſeligere debeant, vt, dum propriam ſcientiam augent,

gent, etiam vniuerſam medicinam ſuis inuentis amplificent et illuſtrent.

§. 389.

Sed cum ita multa ſint a medico practico attendenda, vt in compendio vix tradi poſſint, praecipua tamen officia ad ſequentem normam examinare poterimus.

Sectio I. De eligendo ſyſtemate medicinae.
II. De conferendis libris medicis.
III. De examine aegrorum caute inſtituendo.
IV. De conſignandis praecipuis rebus, ad morbos eorumque medelam pertinentibus.
V. De varietatibus climatum, tempeſtatum et vitae generis, rite obſeruandis.
VI. De inſtruendo medicamentorum et aliorum remediorum apparatu.
VII. De modo inter aegros verſandi.
VIII. De ſeligendis et exponendis optimis obſeruationibus.

SECTIO I.

DE ELIGENDO SYSTEMATE MEDICINAE.

§. 390.

Qui ad praxin medicam ſe accingunt, non hiſtorica rerum quarundam ad medicinam pertinentium cognitione, ſed, quantum fieri poteſt, ſcientifica inſtructi ſint. Cum autem electio et correctio ſyſtematis non niſi poſt crebram naturae contemplationem, et attentam librorum praeſtantiſſimorum

lectionem et diiudicationem locum habeat, cum practicis raro illud otium concedatur, quod ad euoluendum nexum disciplinarum requiritur, praeceptoris systema, normam rerum perficiendarum et diiudicandarum, eligant.

§. 391.

Vti itaque iam acceptas a professore doctrinas inter discendum repetunt, sic quotidianam hanc repetitionem et tunc continuent, cum ex scholis egressi artem exercent. Quo vero inprimis ordinem bene perspiciant, nec tantum memoriae adminicula habeant, sed etiam iudicii vires acuant, disciplinas, quas semel iterumque perlustrarunt, in tabulis mnemonicis describant. Quoniam autem hae mera nomina continent, notatis systematis electi vel aliorum librorum antea lectorum paragraphis, progressum a doctrina compendiaria ad ampliorem faciant.

§. 392.

Non quidem spernendi sunt, qui ex praestantissimis auctorum libris summam doctrinarum colligunt, et indicem struunt, ad quem collecta digerunt: cum autem nexus disciplinarum inde non accurate satis pateat, potius suo loco inserant, quicquid vel obseruando vel legendo cognouerunt, et ita ad veram systematis normam disponant. Breuiori saepe via id ii assequuntur, qui compendiis doctrinarum, in academia explicatis, vlteriora inuenta in margine ampliori vel charta interiecta addunt.

§. 393.

Nemo autem ex iunioribus practicis memoriae nimium confidat, seque cuncta haec per totam vi-

tam

tam tenere posse speret; continua enim nouarum idearum collectio delet et infirmat saepe priores. Est praeterea in scribendo aliqua tarditas cogitandi necessaria, et ipse selectus vocabulorum quemlibet cogit, vt, dum calamo res cogitatas excipit, ideas melius ordinet et perficiat. Etsi enim systema totius artis omnium animis inscriptum esse debet, adminicula tamen haec memoriae praestantissima erunt, cum summa rerum capita breuiter percurrere, et totum nexum animo sistere possit medicus practicus.

§. 394.

Cum vero aduersariorum collectionem adeo necessariam ducamus, eamque ad systema artis perficiendum quam maxime commendemus, illos tamen non laudamus, qui varia ex auctorum libris corradunt, quod confusum saepe chaos ne ipsi quidem auctores perspexerunt, multo minus alii. Optima potius practicorum exercitia sunt, interdum doctrinam quandam peruestigatam paucis verbis in compendium redigere, interdum aliquam doctrinae partem paulo amplius pertractare, et in margine summam rerum expositarum breuiter indicare.

SECTIO II.

DE CONFERENDIS LIBRIS MEDICIS.

§. 395.

Quoniam autem initia artis faciendae copiosam obseruandi occasionem non habent, colligendique modus prius addiscendus est; lectio praestantissimorum auctorum, vt semper, sic praecipue eo

tempore frequentior esse debet. Qua de re, cum, quid in variis disciplinis seligendum sit, paucis non possimus indicare, generalia tantum monebimus. Id tamen consulimus doctrinae nostrae alumnis, vt in academiis notitiam optimorum librorum acquirant, §. 107, 250. vt, quinam praecipue legendi sint, ipsi cognoscant.

§. 396.

Quicunque artem salutarem tractat, eum, quid in ea amplificanda et perficienda agatur, scire oportet; sed cum omnes recentiorum libros euoluere nequeat, noua literaria varia et relationes de libris nouis, quales nos in commentariis de rebus in scientia naturali et medicina gestis collegimus, diligenter adeat. Quanquam enim compendia rerum propositarum non semper satis instruunt, multae tamen doctrinae particulares speciatim tanguntur, vt adeo ex recensionibus potissimum cognoscatur, quibus adminiculis adiuti fuerint auctores, et quinam libri potissimum ad seriam lectionem eligendi videantur.

§. 397.

In his praecipue ad ea attendat, quae ab academiis scientiarum et societatibus medicorum proposita sunt, cum pauci medici practici diaria eruditorum periodica, per plures annos continuata, ob raritatem et pretium insigne, coemere possint. In iis quidem fatemur multa occurrere, quae ad exquisitiorem rerum cognitionem tantum faciant, interdum non nisi singulares obseruationes tradi; tamen cognitio harum rerum historica non inutilis est, adspersis subinde aliis, quae, cum doctrinas summe necessarias illustrent, negligenda non sunt.

§. 398.

§. 398.

Quilibet medicinae practicus praeter curam aegrorum quotidie aliquot horas in disciplinis theoreticis colendis repetendisque consumat. Progrediatur autem a praeparantibus ad theoreticas, vel, quod melius est, vtrasque ita coniungat, vt, physiologiam aut pathologiam repetendo, ex physicis, anatomicis et chemicis principia doctrinae seligat, et, nisi in academiis iam sciagraphiam vniuersalem sibi formauerit, tunc praecipue de ea conficienda cogitet, vt systema suum, hoc est ordinem doctrinarum, habeat in promptu, et postea varia lectione, ad quam per libros conquisitos ducitur, generalia eruditionis suae fundamenta perficiat et illustret.

§. 399.

In anatomicis praecipue accuratum aliquem descriptorem sibi eligat, qualis hucusque fuit WINSLOVIUS; si fieri potest, tabulas EUSTACHII simul conferat §. 184. ne nimia iconum, saepius male elaboratarum, inconstantia confundatur, et, si forte occasio se offerat, sectionem aliquam practicam vel forensem cadaueris instituendi, dubia, in lectione forte subnata, ex ipsa cadauerum inspectione corrigat. Qua quidem transitoria opera etsi ad inuentoris excellentiam pertingere nequit, in generali tamen corporis humani contemplatione semper versetur, cum, nisi repetendo succurrat, multa obliuioni tradantur.

§. 400.

In chemicorum laboribus examinandis ad pharmaceutica sola redeat: amplissimus enim studii ambitus ab eo peruestigari nequit. Postquam itaque

 varios

varios auctorum libros, ad materiam medicam et chemiam pertinentes, §. 185 sqq. euoluit, selecta porro medicamenta ex iis cognoscere, praeparare et componere didicit, ipse vel in laboratorio priuato quaedam tentet, vel pharmacopoeum, qui eidem medicamenta subministrat, consiliis suis dirigat, quo phaenomena, in elaboratione medicamentorum occurrentia, cognoscat, et ita noua quoque, a nonnullis auctoribus proposita et commendata, elaborare, eorumque bonitatem et vsum diiudicare discat.

§. 401.

In physiologia, pathologia et therapia generali, non nisi illos scriptores euoluat, qui veram methodum sequuti sunt, definitionum praestantia et theorematum vera demonstratione genuinis principiis logicis inhaerent, et conclusiones ex phaenomenis naturae deriuant. Horum lectione ita se formare potest, vt ideas distinctas rerum propositarum acquirat, acquisitas bene ordinet, et, si forte vel legendo vel experiundo aliquid cognoscat, illud cum hactenus cognitis coniungat, ideoque artis medicae vniuersae systema magis completum reddat.

§. 402.

Cum eodem studio etiam compendia doctrinae practicae in clinicis, chirurgicis et forensibus disciplinis euoluat, et, dum consilia medendi in medicina facienda inde eruit, ex iis quoque semper ad disciplinas theoreticas regrediatur, quo vera fundamenta artis exercendae inde acquirat, et per praemissas doctrinas magis magisque perficiat, ne temere electis medendi methodis assentiatur.

§. 403.

Poſtquam itaque primis annis initia artis medicae coluit, et repetendo perfecit, ſingularia ſcripta, ſi quae occurrunt, cum fructu euoluat, et ex iis annotet, quae ad cognitionem morborum ſemioticam, ad ordinem indicationum therapeuticum, et ad ſelectum rei medicamentariae pertinent. Profecto in his exercitiis primaria virtus medici artem facientis poſita eſt, quibus eo ducitur, vt partim res antea tractatas repetat, et animo magis imprimat, partim noua, attamen non vaga, colligat, ſed primariis doctrinae capitibus accommodet.

§. 404.

Cum autem ipſe obſeruet, etiam obſeruatores medicos melius diiudicare poteſt, quod quidem in principio non licuerat. Nihil enim eorum, quae ab auctoribus propoſita ſunt, coecus approbet, ſed attente conſideret, num illa phyſicis, anatomicis et chemicis inuentis reſpondeant, et ex his ſtatum hominis ſanum et morboſum declarent, vel remedia ſelecta proponant; vtrum euictis functionum animalium demonſtrationibus, an tantum electis hypotheſibus ſuperſtruantur. Ex illis igitur ea tantum doctrinae capita ſua faciat, in quibus veram obſeruationis fidem deprehendit, aliaque precario ſumta plane negligat.

SECTIO III.

DE EXAMINE AEGRORVM CAVTE INSTITUENDO.

§. 405.

Quae ad morbum disquirendum necessaria sunt, ea in doctrina pathologica proponuntur: igitur quae nunc declarabimus, maximam partem inde patent. Cum vero non tantum rerum inquirendarum scientia, sed aliqua etiam animi dispositio et definitus ordo requiratur, nostrum iam erit, monita nonnulla de accessu medici ad infirmos exhibere, quo examen morbi, vt decet, instituatur, et in salutem aegri, commodum medici, ac incrementum artis medicae conuertatur.

§. 406.

In praecipiti morbo, cum symptomatum copia et vehementia non tantum aegros, et eius amicos, sed etiam ipsum medicum terrent, praecipue id attendat, ne perturbationem sui animi alii sentiant, sed, difficultate disquisitionis et grauitate morbi ostensa, animos depressos consilio et solatio erigat, ad actiones vniuersales corporis, vel adhuc integras, vel maxime laesas, inprimis respiciat, necessaria auxilia atque remedia studiose expendat et ordinet, non nisi summe vrgentibus effectibus occurrat, et, quantum quidem fieri potest, initium et progressum totius morbi, et praecipuas caussas et symptomata, sibi cognita reddat.

§. 407.

Si turbis his repentinis se ad tempus subtrahere nequit, id efficiat, vt amicis aegri quasdam occupationes, in solatium eius directas, iniungat, et quantum quidem fieri potest, eiulantes praecipue foemellas ab eius aspectu remoueat, quo facto ipse disquisitioni morbi tranquillius inhaerere poterit. Si vero grauem quandam discedendi caussam proferre potest, se in museum vel alium locum, ab aegro remotum, recipiat, quo de natura morbi eiusque vicissitudinibus et remediis eligendis serio cogitare, et auxilia necessaria studiose definire queat.

§. 408.

Si morbus chronicus est, vel acutus etiam quandam cunctationem admittit, aut ipse aeger aut amici eius ea, quae ad historiam morbi pertinent, exponant, et ita medico descriptionem accuratiorem subministrent, qui, cum eos non nisi leuissimis interdum quaestionibus interrumpat, interea id aget, vt, quantum in obscuris saepius et dubiis aegrorum querelis fieri possit, caussas et symptomata ad diagnosin formandam disponat, et ita indolem morbi pro temporis conditione cognoscat.

§. 409.

Idea generali morbi formata, et ex actionibus laesis summatim perspecta, alia accuratius quaerat, cum non solum ex relationibus amicorum aegri, sed ex iis quoque phaenomenis, quae corpus aegrotum ipsi obtulit, multa iam eaque certa signa collegerit, et pro parte digesserit: quam ob rem nunc in alia, adhuc dubia, studiosius inquirere, per caussas ad anamnestica signa duci, haec cum diagnosticis atten-

tius

tius comparare, et ita accuratiſſimam morbi ideam ſibi formare poteſt, ex qua non tantum prognoſin certam eruere, ſed etiam ſalutaria conſilia et praeſtantiſſima remedia inuenire valet.

§. 410.

Si morbus latens, ideoque altioris indaginis eſt, ab initio dubiam tantum prognoſin faciat, remedia quaedam, vel praeparantia, vel grauiſſimis ſymptomatibus oppoſita, ſuadeat, ipſe vero ſolus rem curatius expendat, et ſe ad reliquas diſquiſitiones praeparet. Iuniores medici hac in re optime ſibi proſpicient, ſi hiſtoriam morbi ſuccincte calamo exceperint, cauſſas et ſymptomata diſcreuerint, vt iis comparatis videant, an cauſſam morbi proximam vel certo, vel cum aliqua probabilitate inuenire queant. Simul deprehendent, quid inpoſterum diſquirendum ſit, et ſic praeparato animo, ad vlterius morbi examen ſe conferent.

§. 411.

Hoc grauioris morbi examen in principio difficillimum eſt, continuata tamen attentione, et ſignis magis magisque eluceſcentibus, aliis nimirum ſymptomatibus accedentibus, aliis euaneſcentibus, res ſubinde clarior redditur. Caueat tamen medicus, ne in morbo iam cognito, diuturno tamen, negligentia vlterioris obſeruationis officii ſui obliuiſcatur. Quanquam enim morbus ſanari nequit, ſymptomata tamen moleſtiſſima eorumque cauſſae perueſtigandae ſunt: ſi vero ſpes ſanitatis recuperandae affulgeat, poſt aliquot dierum ſpatium examen aegri denuo et ſerio inſtituendum eſt.

§. 412.

Quod autem tota res multo vſu eget, medici ſeniores, morbis curandis iam exercitati, ſimul ad aegrum ducendi ſunt, qui morbum et examinent et diiudicent. Tum vero medicus, qui hactenus curam aegri habuit, ad accerſitos medicos referat, quid vel in cauſſarum ſcrutinio, vel in varietate morboſorum ſymptomatum, vel in effectibus morborum obſeruauerit. Alias poſtea quaeſtiones moueant accerſiti medici, et quid de indole morbi ſentiant, aut quaenam porro eligenda ſint remedia, indicent.

§. 413.

Optima ratio conſiliorum inter medicos communicandorum eſſet, ſi prius, abſente aegro, medicus ordinarius omnia, quae ei cognita ſunt, recenſeret, poſtea omnes ſimul ad aegrum ſe conferrent, et, quae diſquirenda ſunt, expenderent, deinde omnes iterum ab aegro ſecederent, ac priuatim de rebus inter ſe conferendis agerent, ideoque tandem de diagnoſi, prognoſi, indicatione generali, et ſpeciatim de ſeligendis optimis remediis conuenirent, quo facto medicus ordinarius tantum curam conſiliorum porro exſequendorum ſuſciperet. Quod ſi enim vnus vel alter ex medicis conſiliariis aegrum interdum videat, tamen nihil noui definiat, nec electam medendi methodum turbet. In grauioribus autem morbi conuerſionibus diſquiſitio communi conſilio iteretur.

§. 414.

Sed his conſiliis aegri ſalus vnice propoſita ſit, ideoque remoueatur omnis inuidia, diſſenſus, contemtus alius medici, vel iunioris, vel minus eruditi. Cum autem in rebus tantum probabilibus interdum diſſen-

diſſenſus obueniat, eo ſemper reſpiciant medici amici et eruditi, an ex veris artis principiis illum componere poſſint. Si ex hypotheſeos diuerſitate diuerſimode iudicant, quilibet hypotheſin ſuam ad phaenomena primaria reducat, quo conſilium his accommodetur: quod ſi tunc quoque diſſenſus componi nequit, in eo conueniant, vt per nocentia et iuuantia medicamenta, caute tamen ſelecta et adhibita, demum experiantur, a cuius partibus veritas inueniatur.

§. 415.

Si medicus collegia medicorum vel alios medicos eruditos abſentes in conſilium vocandos arbitratur, hiſtoriam morbi plenius deſcribat, anamneſticisque ſignis expoſitis, initium morbi, progreſſum et viciſſitudines, nec non effectus medicamentorum, hactenus exhibitorum, bene annotet, poſtea de diagnoſi, prognoſi, et medendi methodo, quoad indicationem generalem et indicata ſpecialia, ipſe exponat, quaeſtiones vero dubias ex iis rebus formet, quas non ſatis perſpicere potuit. In rebus maxime dubiis quaeſtiones ad haec cuncta generatim extendere poterit.

§. 416.

Medicus, qui multorum aegrorum curam ſuſcipit, attente ab vno ad alterum progrediatur, et, vbi vnius diſquiſitionem abſoluit, eique conſilia et medicamenta exhibuit, eum iterum ex animo dimittat, et indolem aegri alterius, ad quem progreditur, cogitet, quo ad eum accedens, ad res diſquirendas iam praeparatus ſit, et eo melius ea, quae ex memoria exciderunt, repetere, alia noua ſigna colligere, et tandem de omnibus iudicium ferre poſſit. Si nimiis labori-

laboribus obruitur, ſignis quibusdam characteriſticis primarias res in ſchedula quadam annotet, et examini, alio tempore inter priuatos parietes ſuſcipiendo, reſeruet.

§. 417.

Quo autem in his accurato ordine progrediatur, in conclaui aegri ita res ſuas agat. Omiſſa omni confabulatione inutili mox ad morbum indagandum ſe conferat, et ordine, ex pathologicis doctrinis definito, vtatur, eosque moneat, qui variis ſermonibus interſperſis attentionem eius turbant. Alia tunc ab aegro ipſo, alia ab amicis eius ſciſcitetur. Poſt morbi conſiderationem de remediis cogitet, formulas medicamentorum praeſcribat, et quae de ſitu aegri, vel lectuli, vel calore conclauis, vel aliis rebus ad diaetam pertinentibus monenda habet, bene ordinet. His abſolutis ad alios ſermones tranſeat, eos tamen, qui animum aegri vel ad obſequium, vel ad tranquillitatem diſponunt. Sic demum diſcedat, vt ſummam eorum, quae praecepit, repetat.

§. 418.

In morbis, quos vel neceſſarius turpitudinis metus celat, vel quorum interdum ſine cauſſa aegros pudet, caute verſetur, ne forte aegrum, vitae periculum timentem, vel etiam ſummo dolore preſſum, magis deprimat; afflictis enim non eſt addenda afflictio. Medicus potius cum intimis aegri amicis ſeparatim agat, quo eorum monitis ad morbi cognitionem perueniat, et ita neceſſaria remedia ſuadeat. Dummodo enim medicus generalem naturam morbi cognouit, officiis ſuis ſatisfacere, et ſubinde ad accuratiorem cognitionem tranſire poteſt.

Alia

Alia monita, quibus medici consuetudo cum aliis regitur, sectione septima tradam.

SECTIO IV.

DE CONSIGNANDIS PRAECIPVIS REBVS AD MORBOS EORUMQUE MEDELAM PERTINENTIBUS.

§. 419.

Postquam medicum, in conclaui aegrorum in indolem morbi inquirentem, ac salutaria consilia et remedia exhibentem, considerauimus, sequitur, vt illum instruamus, quomodo in museo officium hoc facere, et omnia studia in emolumentum aegri artisque dirigere debeat. Licet autem practici, multis negotiis detenti, non omnia calamo excipere possint, iuniores tamen per crebras annotationes rerum practicarum ita se exerceant, vt olim hoc adminiculo carere queant, saltim non nisi summe necessaria annotent.

§. 420.

In ea vero re monendi sunt, ne ex vna parte nimis leuiter agant, et tantum, vt medici exercitati, vnum alterumque vocabulum in schedulis mnemonicis consignent, nec ex altera parte in diariis nimis amplas morborum historias conscribant, quibus tandem in continuatis morbis confunduntur. Ipsa cognitio artis medicae, ex systemate petita, illos instruat, tunc enim aduersaria breuissima, ordinate scripta eos iuuant. Vera et compendiaria methodus ex sequentibus potissimum elucescet.

§. 421.

§. 421.

Primo quidem nomen cuiuslibet aegri, aetas, vitae genus, habitus corporis, ea, qua fieri poteſt, breuitate annotentur. Temperamentum, quod vtplurimum addunt, adeo difficulter cognoſcitur, vt non niſi accuratiore examine cauſſarum praediſponentium ad illud reſpici poſſit. Si tunc temporis etiam ex mutatione climatis, vitae generis et euidentioribus diaetae vitiis quaedam cognoſcuntur, illa ſimul adiiciantur, poſtea cauſſae praecipuae et euidentes, nec non ſymptomata inde deducta proponantur, et diagnoſis ac prognoſis vna cum praecipuis medicamentis exhibitis apponantur.

§. 422.

Hic labor difficilis eſt, generalis tamen artis medicae cognitio ideas ita ordinat, vt medicus ad aegrorum examen aptior reddatur, inprimis cum continuum exercitium compendium ſcribendi doceat, et ſi de amicorum, qui olim noſtrae curae traditi fuerunt, diſpoſitionibus ſanis et morboſis aliquid notatu dignum occurrat, multa iam diu animo impreſſa ſunt, vt paucis verbis exprimi, vel in diario alius anni ex praecedenti morbo repeti queant. Nec quotidie noui aegri occurrunt, in reliquis autem, quorum continuatam curam ſuſcipit, primaria annotata ſufficiunt.

§. 423.

Cum itaque diebus iam antecedentibus de his multa annotauerit medicus practicus, vel linea addita ſignificet et hac die ea valere, quae antecedenti die expoſuit, vel ſi quid notandum ſe offerat, vnam alteramque cauſſam, vel ſymptoma nouum, vel epi-

genomenon vel aliam mutationem morbi, vel diagnoſin vel prognoſin correctam, vel nouam et quam nunc proſequitur indicationem, vel contraindicans aliquod vel coindicans, vel diaetae rationem, vel praeſcripta medicamenta, vel alia, quae noua deprehenſa ſunt, aut quorum notitia in cura continuata requiritur, conſignet, et tandem, vti paulo poſt dicturi ſumus, tempeſtates variantes et ventorum mutationes adiiciat.

§. 424.

Haec autem annotandi aſſiduitas non tantum experientiam medici in variis doctrinae partibus auget, ſed et tunc neceſſaria eſt, cum de cauſſis et progreſſu morborum tandem quaedam in rebus forenſibus ad iudicem referenda ſunt. Laeſiones enim, vt morborum et mortis cauſſae, in principio ſaepe leuiores videntur, ſed tractu temporis grauiores fiunt: quam ob rem medici omnes, inprimis phyſici, publica auctoritate conſtituti, in his ne minimum quidem negligant, quo in rebus ad forum delatis ſua obſeruata et iudicia exponere poſſint.

§. 425.

Dum ita de variis aegri affectionibus et conſiliis exhibendis cogitat, in memoriam reuocat ea, quae olim in ſyſtemate medicinae, quod ſequitur, et in theoreticis et practicis diſciplinis annotauit. Ea iam euoluit, et, quae experientia vlteriori comprobata vel correcta inuenit, addit et corrigit, ac ita cognitionem auget. Simili ratione in memoriam reducit annotationes ſcriptorum quorundam particulares, quas per hanc occaſionem iterum cognoſcit, et aſſenſu ſuo aut certiores reddit, aut emendat.

Hic

Hic etiam labor eo facilius praeſtandus eſt, cum non quotidie, ſed interdum tantum occurrat, et per exercitationem in dies fiat expeditior.

§. 426.

Tandem etiam ſubtilis cogitatio de rebus quibusdam obſeruatis, vel in morbis epidemicis, vel ſporadicis, exercitati medici attentionem mouet, eumque impellit, vt ei diutius inhaereat. Cum autem ſaepius, auctis occupationibus, tempus ad accuratam elaborationem non ſufficiat, in aduerſariis tantum praecipua momenta paucis notet, et vberiorem tractationem alii tempori reſeruet. Omnes etiam obſeruationes rariores, cuiuscunque demum ſint argumenti, dummodo doctrinam quandam medicam illuſtrant, breuiter in diario indicet, v. c. ſi in ſectione cadaueris, vel practica, vel forenſi, quaedam notatu digna de corporis fabrica et cauſſis morborum detexerit.

§. 427.

Quo melius vero noſtra ſententia de hoc genere diligentiae, a medico practico quotidie ſuſcipiendae, cognoſcatur, en breuem delineationem diarii practici, quod omnes medici, praecipue iuniores, vel qui in arte facienda tantum verſantur, conſtruere, et ita facili attentione omnia, quae ipſis occurrant, annotare poſſunt naturae phaenomena.

Ann. et dies.	Venti et tempeſtates.	Aegrorum Conſignatio.	Aduerſaria.
1762 Ian. 27	N. W. Cœlum nubibus tectum	*Sempronius* Vir 37 an. vitae ſedentariae deditus, hab. corp. cacochymico, haemorrhoidibus coecis vexa-	In ſectione pueri, lenta febre extincti, lumbrici

 Ann.

Ann. et dies.	Venti et tempestates.	Aegrorum Consignatio.	Aduersaria.
	frigus moderatum.	tus, vehementi tussi afficitur cum reiectione pituitae, striis sanguineis tinctae. Aluus obstructa. Infus. Rhab. c. sale medio et stimulo sennae drachm. 2. *Caius* paroxysmum quart. feb. leuiorem sustinuit, versus vesperam. Extr. amar. c. Liqu. ter. fol. tart. in aq. destill. soluta. *Titius*: morbilli altero die bene subsistunt, aluus obstructa, clysma emolliens. *Petrus* — *Flauia* morbillis plane superatis moderate perspirat. Ess. Scordii c. sp. nitri dulci.	in abdomine inueniebantur, obseruabantur etiam foramina in intestinis, vermibus proportionata, sed nullo modo in ambitu inflammata, hinc post obitum pueri a vermibus inducta.
28.	N. W. Pluuiae matutinae, aer humidus subfrigidus, versus vesperam serenus.	*Sempronius* aluum 6 deposuit, tussis cum reiectione sanguinis aucta. V. S. in pede vnciae octo. *Caia* — *Titius*: clysma aluum mouet, bene perspirat, subsistunt morbilli. Liqu. ter. fol. tart. c. Ess. Scordii, victus tenuis vegetabilis. *Petrus* Feb. intermit. parox. 5 sat validus, c. largo sudore. Pil. lax. c. Res. Ialap. gr. 4. in proxim. diem. *Flauia* Lax. ex Rhab. et sal. amar. ad d. 30. Ian. postea Tinct. Vitriol. mart. Zwelf.	

Ann.

Ann. et dies	Venti et tempeſtates.	Aegrorum Conſignatio.	Aduerſaria.
		Paulus capitis percuſſio c. ſenſ. abolitione mox ad ſe redit. V. S. clyſma.	
29.	S. W. Coelum variat, aer humidus et tepidus.	*Sempronius* ſputa viſcida ſine ſanguine. Emulſ. c. Gummi ammoniaco.	In morbillorum aliis epidemiis aluus fuſa fuit, nunc eadem in multis aegris adſtricta obſeruatur, nullo tamen damno inde nato.
		Caia. —	
		Titius: aluus obſtructa, morbilli euaneſcere incipiunt.	
		Petrus aluus 5 aperta. Extr. amar. c. tart. tartariſat. et aquis ſoluta.	
		Flauia. —	
		Paulus: continuus ſopor, tumor ſuper os bregmatis, inciſio, fiſſura, trepanatio, ſanguis ſuper dura matre euacuatus.	
		Maeuius Iuuenis robuſtus 19 ann. poſt exercit. corp. in aere libero refrigerium paſſus, verſus veſperam horrore corripitur, aeſtuque agitatur, puluis temperans nitroſus.	

§. 428.

Diaria practica ita quidem conſtrui poſſunt, vt cuilibet aegro pagina libri deſtinetur, et progreſſus morbi per dies ſequentes addatur; in noſtro tamen ſchemate comparatio morborum inprimis epidemicorum inter ſe melius inſtituitur. Saepe etiam accidit, vt prima morbi initia negligantur, cum leuiores et vix attendendi materiae morbi motus ſint, qui tamen paulo poſt maiori vehementia incenduntur.

Commodius igitur nobis viſum eſt, omnes labores practicos in vna et continua tabula perſpicere. Quomodo autem ex his tandem hiſtoriae morborum ac obſeruationes ſeligi et concinnari poſſint ac debeant, ſectione octaua oſtenſuri ſumus.

SECTIO V.

DE VARIETATIBVS CLIMATVM, TEMPESTATVM ET VITAE GENERIS OBSERVANDIS.

§. 429.

In aere et aquis, et inde pendente varietate, interdum quidem ſalubritatis prouinciarum, ſaepe tamen maxima cauſſarum morboſarum vis poſita eſt: hinc epidemici non ſolum et endemii morbi, ſed et ſporadici varii inde declarantur. Neque in ampliſſimis tantum prouinciis, ſed etiam in diuerſis earum tractibus hae cauſſae ſalubritatis et morborum attendendae ſunt. Quilibet igitur medicinae practicus, poſtquam ſedem fixam in quadam vrbe elegit, varias excurſiones in vicinos agros inſtituat, et ſe de ſitu vrbis, in qua medicinam exercet, inſtruat.

§. 430.

Conſideret ergo montium tractus verſus vnam alteramque plagam, ad decem ſaepe et plura milliaria diſtantes; flumina, quae vicinos agros perreptant, vel praecipue vrbem alluunt, vtrum per ſabuloſa, an vliginoſa ſtrata decurrant, inquirat; diſpoſitas ad fluminum ripas ſyluas et prata plus minusque vliginoſa annotet, an inundationibus crebrioribus,

ribus, et quo tempore, obnoxii ſint, attendat; ſolum porro an arenoſum ſit, lutoſum, fertili et molli humo conſtet, deſcribat, et tandem ex his aeris et aquarum indolem definiat.

§. 431.

Aeris proprietates inſtrumentis variis determinare phyſici ſuſcipiunt, nec incongruus labor eſt, per accuratam eorum contemplationem non ſolum tempeſtates variantes definire, ſed etiam vſum et applicationem eorum perficere. Si igitur medicus practicus in phyſicis his diſquiſitionibus ſtudiorum partem ponere vellet, non plane carpendus eſſet; ad finem vltimum tamen, quem ſibi in medicina facienda praefigit, tam accurata obſeruatio minus neceſſaria eſſe videtur, ſed ſufficit, omnino ventorum mutationes attendere, gradus caloris et grauitatem aeris ex thermometris et barometris, apte conſtructis, vel viciſſitudines tempeſtatum ex communi obſeruatione tantum annotare.

§. 432.

Cum igitur a phyſicis accuratior obſeruatio viciſſitudinum atmoſphaerae per plures annos ſuſcipienda ſit, quo inde ad varias de aeris natura et indole, fertilitate terrae, cet. obſeruationes ducantur, medici practici tantum ſalubritatem prouinciarum, quas inhabitant, obſeruationes tempeſtatum variantium et cauſſas morboſas inde pendentes examinent. Hac in re ſub initium praxeos ſtudioſius verſari debent, vt ita normam obtineant, ad quam conſilia ſua diaetetica et medendi rationem dirigant, poſtea non niſi minus conſuetas mutationes attendant, et cauſſas morborum epidemicorum ex his eruant.

§. 433.

Vti variantes aeris proprietates in machinae animalis functionibus multa mutant, sic etiam aquarum communis vsus attendendus est. In nostris terris raro vtuntur aqua pluuiali, in cisternis collecta, neque fontes viuae aquae, nisi in montosis locis, effodi possunt, inde tantum aquas fluminum per canales ligneos praecipue distributas, et ex puteis haustas, medici nostri attendant, et in earum examine aliqua cum cura versentur, quo optimas incolis vrbis suae commendare, et ita sanitati eorundem prospicere queant.

§. 434.

Possemus quidem praeter aerem et aquas ad alias quoque res, quae vitae generi seruiunt, in hac tractatione respicere, et ita victus rationem simul attendere: cum autem ea, quae in vniuersum a magistratu ordinanda sunt, ad medicinam forensem pertineant, et ibi iam exposita sint, alia autem tantum quorundam hominum diaetae rationem spectent, sufficiat, hanc rem vno vel altero exemplo declarare, et medici attentionem in diiudicandis reliquis sanitatis et morborum caussis sic formare, vt vbique accurata obseruatione valeat.

§. 435.

Labores opificum, et in iis occurrentes corporum naturalium mutationes, multas res, quae in chemicis declarantur, confirmant, et vel hanc ob caussam iam a medicis practicis attendendi essent: maior autem vtilitas in diiudicandis morbis ab his pendet. Vti itaque in genere illae morborum caussae, quae ex vitae genere pendent, obseruandae sunt, sic potissimum

mum eae, quae ex aeris inquinatione per opificia varia eueniunt, negligendae non ſunt, quippe non tantum vniuerſis vrbis incolis noxiae, et ideo cenſurae magiſtratus ſubiectae, ſed etiam ſanitati eorum, qui opificia illa tractant, detrimentoſae.

§. 436.

In omnibus ferme prouinciis peculiaris eſt victus ratio: caro fumo indurata, inprimis ſuilla, in quibusdam, in aliis pingues nimis paſtae farinaceae, in aliis lacticiniorum, in aliis ſolani eſculenti vſus, cet. frequentior eſt: quae itaque ex variis his victus generibus cauſſae morborum occaſionales indicari poſſunt, a medicis annotandae ſunt. Cum etiam conſueta victus ratio ob cauſſas publicas non ſemper mutari queat, de iis etiam auxiliis cogitandum eſt, quibus medentes noxas inde oriundas corrigunt, quo genuina medendi ratio magis definiatur.

SECTIO VI.

DE INSTRVENDO MEDICAMENTORVM ET ALIORVM REMEDIORVM APPARATV.

§. 437.

Cum accurata morborum conſideratio et diiudicatio primum officium medici ſit, in quo totam vitam conſumere debet, auxilia tamen varia, quibus morbis in corpore humano obortis medemur, non minus attentum eius examen merentur. In materiae medicae partibus et therapia generali de his quidem inſtruendi ſunt medentes, dolendum tamen omnino eſt, quod apparatus medicamentorum, nimis

auctus, iuniores medicos saepe magis confundit, quam instruit: hinc necessarium est, eos de hoc apparatu instituendo commonefacere, quo vbique habeant auxilia selecta, morbis debellandis idonea.

§. 438.

Qui medicus artem aliquo in loco facere suscipit, is pharmacopoliorum ibi institutorum aliquam notitiam sibi comparare debet, et licet optandum foret, omnes pharmacopaeas dispensatoriis bene elaboratis, publicaque auctoritate confirmatis, dirigi posse, composita tamen medicamenta saepe minus bona sunt, cum ii, qui simplicia sic dicta vendunt et praeparant, selectum, ex naturali indole cognoscendum, negligant. Iunior itaque medicus, de his ex theoria instructus, cum pharmacopoeo amice agat, quo medicamenta, quibus in praxi vtendum est, bona accipiat.

§. 439.

Cum itaque non semper in artificiosa praeparatione medicamentorum, sed in simplicium vero selectu, artis salutaris vis posita sit, de quibusdam indigenis et certis, inprimis ex vegetabili regno petitis, medicinis eorumque bonitate se certiorem reddat. In hos vsus eas potissimum seligat plantas, quae in agris et syluis vicinis crescunt, qua in re etiam pauperioribus saepe succurrere, iisque haec parabilia medicamenta suadere potest. Sambucus et chamomilla illustri exemplo esse possunt.

§. 440.

Sub initium autem praxeos medicae ex quolibet therapiae generalis capite seligat quaedam remedia, quae

quae a praeceptoribus vel aliis practicis commendata accepit, iisque primum solis vtatur, quo eo melius de effectibus eorum per experientiam certus reddatur. Nam etsi inter aegros versatur, qui veram medicinae normam non cognoscunt, et semper noua expetunt medicamenta, ideoque aliquam varietatem in praescribendis medicamentorum formulis affectare debet, in iis tamen, de quorum effectibus certus esse desiderat, et nimiam varietatem et nimiam compositionem ac praeparationem remediorum vitet.

§. 441.

Si quae noua in libris commendata medicamenta repererit, de vi eorum eo celerius certus esse poterit, quod interdum aegri occurrunt, quibus consueta medicamenta non sufficiunt, modo nouorum indolem odore, sapore et chemico examine explorare non negligat. Sic quolibet anno noua cognoscit et adhibet medicamenta, alia corrigit, alia reiicit, et semper de apparatu remediorum certus est.

§. 442.

Inprimis autem de specificis medicamentis hoc prouideat: quo nomine non ea dicimus, quae vni vel alteri morbo sigillatim medentur; nec cuiuslibet medicamenti simplicis vires adeo definitas concedimus, vt ex differentia, chemice etiam detecta, ad determinatam semper actionem in corpore concludere queamus, sed ea, quae indicationi cuidam therapiae generalis ex voto satisfaciunt, hoc nomine insigniri possunt, vt purgantia varia aluum subducunt, sed alia vis in salibus, alia in tamarindis et manna, alia in rhabarbaro et aloe, alia in ialappa et

aliis

aliis refinofis purgantibus eft. Haec autem fpecifica virtus non tantum per fapores, odores et examen chemicum medicamentorum, fed etiam per experientiam iteratam confirmanda eft.

§. 443.

Sed is demum in experiundo recte verfatur, qui fpecifica haec medicamenta diuerfis aegris exhibet, attentus ad morbi indolem ac genefin, nec neglectis fignis anamnefticis, vitae genere et temperamento, ex vera fluidorum et folidorum ratione definito, et gradu temporibusque morbi fimul indicatis. Cum enim folae vires, in corpore agentes, morbis medeantur, videndum tantum eft, quomodo medicamenti actio his viribus fuccurrat, qua ratione relatio medicamenti ad corpus aegri recte et fpecifice definitur.

§. 444.

In variis materiae medicae capitibus heroica fic dicta, fiue eminenti vi praedita, medicamenta occurrunt, quibus in morborum cura carere non poffumus. Eorum non tantum natiua indoles, fed etiam pharmaceutica praeparatio annotanda eft. Sic enim mercurius ipfe, et medicamenta inde praeparata, etiam in parua dofi, certis et indubitatis effectibus fe produnt, licet interdum falutares, interdum nociuos edant. Simili ratione in opii, antimonii, martis, fquillae, corticis peruuiani et nonnullorum aliorum medicamentorum, fingulari certe efficacia praeditorum, examine attente verfandum eft, quoniam eorum vfus adeo neceffarius eft, vt vera eorum efficacia medicum latere non debeat.

§. 445.

§. 445.

Praeparatio et compoſitio medicamentorum pharmacopoeis quidem relinquenda eſt, inprimis ſi in vrbibus opulentioribus apparatum pharmaceuticum egregie inſtructum habent, nec medici nimiis laboribus detenti, eum vt decet, curare poſſunt. Quemlibet tamen medicum medicamenta interdum exercitii gratia praeparare debere, ideo iudicamus, quo guſtu et odore dotes eorum cognoſcat, quo compoſitionis rationem videat, et, an per eam vires medicamentorum augeantur, vel imminuantur et deſtruantur, perſpiciat. Colores porro mutabiles et turbationes pellucidorum liquorum cognoſcat, et quatenus in combinatione vel euitari, vel non euitari poſſint, hoc exercitio diſcat, vt, quantum quidem fieri poteſt, viribus non deſtructis, gratiam coloris odoris et guſtus acquirat.

§. 446.

In prouinciis et vrbibus minus frequentibus medicus plurima medicamenta, quae ex diſſitis pharmacopoliis non facile conquiri poſſunt, ipſe praeparare tenetur: ergo ſelectu optimorum et facile parabilium medicamentorum ei opus eſt, et cum inter aegros huius conditionis vix ad nitorem externum reſpicere cogatur, internam tamen bonitatem in remediis non negligat. Hi certe medici ad vires plantarum indigenarum diſquirendas ſaepe magis apti ſunt, quoniam ad paucas tantum herbas bonae notae attenti, harum effectus melius dignoſcere poſſunt, quam alii, qui nimio medicamentorum apparatu et varietate aegris interdum placere cupiunt, neque tamen ſaepius proſunt.

§. 447.

§. 447.

Apparatum instrumentorum chirurgicorum medici a chirurgicis petunt, qui ea vel priuatis vel publicis sumtibus adornant. Non incongruum tamen est, si medici, qui in vrbibus, praecipue minoribus, chirurgos exercitatos socios habere nequeunt, aliquem apparatum instrumentorum summe necessariorum in promtu habeant, quo et his chirurgicis auxiliis, necessitate vrgente, vti possint. Cum etiam hi medici parturientibus non raro opem ferre teneantur, quibusdam instrumentis, quibus embryulcia perficitur, omnino instructi esse debent.

SECTIO VII.

DE MODO INTER AEGROS VERSANDI.

§. 448.

Medicus practicus autem, et in consiliis de conseruanda sanitate exhibendis, et in morborum medela occupatus, ita se gerere debet, vt omnibus, quantum fieri potest, placeat et satisfaciat. Praecepta itaque, quae sana ratio dictitat, et morum doctores omnibus, qui cum aliis viuunt, praescribunt, non tantum in genere sibi cognita reddat, sed eo quoque enitatur, vt ea exerceat. Quamuis vero de hac re multa proponi possent, tamen breuiter et in vniuersum ea monita, quae alios medicos, aegros ipsos et amicos aegrorum concernunt, speciminis loco indicaturi sumus.

§. 449.

§. 449.

Si morbi grauiores occurrunt, qui magnam medici attentionem exigunt, vel priuatim, modo res patitur, cum aliis medicis confultet, vel eos fimul, confentientibus aegro et eius amicis, ad aegrum ducat, vel confilia ab illis, etiam abfentibus, per literas petat. De quo etfi iam fupra §. 412. feqq. paucis egimus, nonnulla tamen hic repeti et vlterius illuftrari poffunt. Confilia autem medicorum tunc praecipue neceffaria funt, cum in morbo faepe complicato ad meliorem diagnofin, vel in morbo difficili ad certiorem prognofin, vel ad accuratiora remediorum tentamina perueniendum eft.

§. 450.

Quanta vero commoda amica haec confultatio cum aliis medicis praeftet, illico patet: praeter auxilium enim in re ardua, quod animum medici ordinarii, inprimis iunioris, confirmat, eruditionem et attentionem fuam declarare, animosque aegri et amicorum interdum folari, interdum ad triftem rerum euentum melius praeparare poteft, cum viderint, quantam curam medentes in morbo et fymptomatibus eius vehementiffimis compefcendis impendant.

§. 451.

Iuniores medici femper reuerentiam habeant fenioribus, nec tum folum, cum ex horum eruditione et multiplici experientia aliquos fructus percipiunt, fed etiam cum vel aliquo diffenfu illis difplicent, vel morofitate, fenioribus folenni, eos quodammodo turbant. Quamuis enim iunior medicus, de ipfa rei veritate nondum certus, coecum affen-

fum

ſum conſiliis exhibitis praebere nequeat, et, ſi contrarium ex ipſis artis principiis cognouit, partes ſuas tueri poſſit, tamen ne tunc quidem vehementer repugnet, ſed veris rationibus animum ſenioris potius flectat quam vrgeat.

§. 452.

Si cum medico amico ſermones miſcet, vtrique non niſi artis principiis, experientia excultis, ducantur, et praecipue aegri commodum ſibi vt finem praefigant. Si vero cum iis agit, qui eum inuidia proſequuntur, tunc cautius verſetur, quo eorum mentem primum expiſcetur, ac diſſimulationes cognoſcat, ideoque iis pro rerum circumſtantium ratione vel cedat, vel, ſi neceſſe eſt, modeſte contra eos dicat. Sed et hic omnia monita ex artis principiis eruat, quo eos genuina doctrinae ratione vincat. Quod ſi tunc quoque pertinaces ſunt, illis, niſi res aegri inde damnum capiat, prudenter cedat: ſi vero illa his conſiliis deterior fiat, tunc praeſtantiam doctrinae audacter tueatur,

§. 453.

Omnis autem ſic mota controuerſia ad ſua capita reducenda eſt. Aut enim in diagnoſi diſſenſus eſt, quem phaenomena collecta et inter ſe comparata diſcutiunt; aut in prognoſi definienda diuerſam ſententiam fouent, vnde illa omnino aut dubia aut ambigua pronuntianda eſt; ſi tandem in ipſa indicatione generali aut ſpeciali nondum methodum medendi certum detegere poſſunt, iterata diſquiſitione morbi probabilis ſententia eruitur; et ſi tunc vera indicatorum auxiliorum ratio inueniri nequit, vel ex natura remedii, vel ex nocente aut iuuante indole,

norma

norma agendorum interea petenda erit, donec progreſſus morbi certiora exhibeat phaenomena. Quae hac ratione non componi poſſunt controuerſiae, et aegros et medicos mire confundunt, ideoque triſtiſſimum euentum praeſagiunt.

§. 454.

Si medici ſeniores, in arte exercitati, ratione medendi methodi alios, praecipue iuniores, aut ignorantiae aut negligentiae accuſare poſſunt et debent, iudicium eorum nunquam ſit acerbum. Illi enim, qui vel in diſquiſitione, vel in medela morbi aliquid errarunt, magis fundamento artis ſtudioſe indicato, quam correctione acriore, inſtruuntur et flectuntur, et poſtea ad curam morborum attentius tractandam impelluntur. Et licet medici exercitatiores aliqua auctoritate vti poſſint ac debeant, ex eorum tamen monitis ſcientia vberior et amicitiae candor magis, quam animus inuidioſus eluceſcat.

§. 455.

In omnibus enim conſultationibus non merae experientiae, ſed principia artis phyſica, anatomica et chemica adducenda, et ad praxin ipſam accommodanda ſunt. Caueat tamen medicus, ne, nimia oſtentatione motus, ſubtilius excogitata proferat, quae ad phaenomena praeſentia, ex quibus morbus omnino diiudicandus eſt, non neceſſario ſpectant. Harum rerum diſputatio ad ſcholas vnice pertinet, in quibus ad veras in arte facienda concluſiones ducimur, quae ſolae, cum phaenomenis praeſentibus comparatae, in artis exercitio normam exhibent.

§. 456.

Lectione praestantissimorum librorum artis medicae cognitio colitur, ideo medici exercitatissimorum virorum medendi rationes et medicamenta commemorent. Neque tamen in consultationibus ad auctoritatem solam prouocandum est, cum non generales positiones, sed specialissimae aegri conditiones, in caussis et symptomatibus spectatae, ex iis consultationibus declarandae sint. Multo minus hoc ostentationis ergo fiat. Quod si medicum, nobis pertinaciter resistentem, argumentorum ponderibus confutare nequeamus, consultum omnino est, eum, qui suam auctoritatem adeo vrget, auctoritate aliorum vel vincere, vel reprimere.

§. 457.

Vti vero medicus omnium amicus esse, et omnes suauitate sermonis sibi deuincire debet, sic potissimum aegri, qui graui morbo afficitur, verus sit amicus, eiusque ingenio, quantum fieri potest, se accommodet. Quapropter infantes bene attendat, quo id, quod verbis expiscari nequit, ex gestibus intelligat: puerulos blandiendo alliciat: adolescentes et iuuenes, morbum aegrius ferentes, ad patientiam hortetur: adultos solatio erigat, et morum integritate capiat: senibus tandem tarditate quaestionum se de morbo serio cogitare persuadeat. Sic etiam reliquis aegrorum dispositionibus, ex consuetudine natis, nisi noxa sanitati inducatur, vel sanatio morbi nimis protrahatur, se accommodet.

§. 458.

Vt porro medicus aliquam imbecillitatis, vel naturalis, vel ex morbo ortae, rationem habet, et erro-

res

res ac morositatem dolore vel alio incommodo vexatorum seueriori castigatione non perstringit, aut, si quando hac in re eius auctoritas aliquid valet, id opportuno tempore praestat: ita, si ex erroribus istis aliqua morbi caussa crescit, aut effectus eius tenacior sit, adulatione sua illos laedit. Proinde reprehendat audacter, etiam, si blandus sermo nihil effecerit, seuere: nullo modo autem refractariis aegris blandiatur.

§. 459.

Quod si igitur obsequiosos aegros nanciscitur, illorum patientia non temere abutatur, sed vbique ostendat, se quidem obsequium illud magni aestimare, nullo tamen modo illis molestum esse velle: ad medicamenta aegroto exhibenda et vehementia morbi, et symptomatum se impelli, inque medela felici strictiorem diaetam omnino necessariam iudicare. Si e contrario aegros, ex mollitie et nimia pertinacia ipsi resistentes et asperos, deprehendit, vna alteraque vice ea, quae agenda sunt, suadeat, et obsequium sibi expetat, renitentes vero tandem vrgeat, et ea, quae pro diuersa aegrorum ratione locum habent, cogendi subsidia eligat.

§. 460.

Est aliqua multis medicamentis propria nauseam excitandi facultas, quae ab iis sine detrimento virium separari nequit: haec tamen ab haud paucis aegris opinione augetur. Qui igitur hanc ob caussam remedia respuunt, infantes potissimum et delicatuli, precibus eo adigendi sunt, vt nauseosa etiam medicamenta sumant, saepe enim non consultum est, eadem debilioribus aegris vi obtrudere. In ingratis

gratis tamen medicamentis, vna tantum vice ſumendis, aegri obſequium poſtulet medicus: ſi vero vſus diuturnus requiritur, nulla cogitatio aut propoſitum auerſationem ſemel iterumque excitandam vincere poteſt.

§. 461.

De forma medicamenti propinandi aegri ſaepius cum medico agunt, vnus pilulas, alter vel infuſa vel pulueres recuſat, et auerſationis cauſſas praegreſſas recenſet. Si igitur medicus ex pharmaceuticis regulis formulas ſine magno detrimento virium mutare didicit, aegri deſiderio aliquid concedendum eſt: ſi vero vires medicamenti inde imminuuntur, quicquid neceſſarium eſt, vrgere debet, v. c. pro clyſmate aeger medicamentum ore ſumendum exigit.

§. 462.

Magis auerſantur conſilium medici, auxilia chirurgica ſuadentis, inprimis ſi operationes vel maximo cum dolore, vel cum ipſo mortis periculo, coniunctae ſint. Venaeſectio, veſicatoria, fonticuli vix nominari merentur, in his enim aegri opinatus timor facile vincitur. Si proſper euentus difficilioris operationis promitti poteſt, vrgenda eſt; ſi euentus ambiguus vel ſaepe lethalis videtur, omnibus, quae eam ſuadent, rationibus propoſitis, aegri arbitrio relinquenda eſt: in genere tamen notari debet, operationes graues non niſi in aptis et de reliquo ſanis corporibus ſuſcipiendas, nec retardandas eſſe, quoniam auctis ſymptomatibus ſaepe inutiles fiunt, atque adeo noxiae.

§. 463.

In diaeta accuratiori commendanda primaria medici cura poſita ſit, cum auxilia, ex hoc fonte petita, reliquis ſaëpe praeſtantiora inueniantur. Vt vero medicus, cum ſanis viuens, non ſeuerus cenſor diaetae eſſe, nec vbique, inprimis inter conuiuia, medicinae dogmata de victus ratione docere debet, ita, ſi quosdam amicorum errores obſeruet, illorum memor ſit, et prima data opportunitate has morborum cauſſas ipſis diſſuadeat, quo ſibi ab iis caueant.

§. 464.

In ipſo morborum decurſu accuratior diaeta imperanda eſt: quamquam enim in morbis grauioribus tantum neceſſaria videtur, non ſine fructu tamen medicus omnibus aegris quotidie vel ſummatim, vel in ſingulari morbi genere, neceſſarium diaetae ordinem ſigillatim imperat, et praecipue id, quod in victus regimine obſeruandum eſt, eadem ratione, vt medicamenta ipſa, diſponit. Sic enim non tantum morborum cauſſas arcet, ſed ſymptomatibus quoque occurrit, et ipſis morbis diaetetico remedio medetur.

§. 465.

Bene autem perpendat, non vniuerſalem diaetae formam omnibus eſſe praeſcribendam, nec pro differentia morbi tantum ordinandam, ſed multa etiam ex vitae genere et conſuetudine diiudicanda et concedenda. Sic nonnullis aegris noxia deprehenduntur, quae aliis morbis et ſubiectis ſalutaria, vel ad minimum non nociua ſunt. Nec in cibo et potu tantum omnem diaetae rationem poſitam eſſe

 cogno-

cognoſcat, ſed reliquas res nonnaturales ſimili cum cura regat, et regiminis in morbis rationem vbique habeat.

§. 466.

Ex his praecipue ea ſunt, quae de conclauibus aegrorum monenda occurrunt. Aeris puritas, remouendo omnes noxias exhalationes, et ventilatione nonnunquam acquiritur, ingrati etiam et noxii vapores melius diſſipantur, quam per ſuffimigia corriguntur. Caloris gradum definiat ſenſus externus, et in caſibus difficilioris indaginis thermometrum. Nec ſtragulis ponderoſis et copioſis obruatur aeger, qui blande tantum perſpirare debet. Si graui morbo decumbat, clarior lux a conclauibus arceatur, vel facies in obſcuram eorum partem dirigatur. Pictae imagines et ſpecula, quae aegro phantaſmata excitant, et deliriis occaſionem praebent, vel remoueantur, vel obtegantur, et aliae quoque cauſſae, quae animum commouent, ſedulo euitentur.

§. 467.

Cum medicus a iudicio aliorum, et haud raro imperitae multitudinis pendeat, vera, quae eum ornat, eruditione inclareſcere nequit, ſed eandem tantum quibusdam amicis, et inter hos aliis medicis, quorum grata conſuetudine vtitur, oſtendere poterit. Quo modo acquiſitam rerum medicarum cognitionem aliis eruditis oſtendere poſſit, ſequenti ſectione declaraturi ſumus, nunc potiſſimum modum inter aegros eorumque amicos verſandi conſideraturi ſumus, quo in eius vita omnis doctrinae moralis excellentia appareat.

§. 468.

§. 468.

Medicus Deum ſancte colat, et ſummum hoc numen, cuius perfectiones in tot corporibus creatis tanquam in ſpeculo intuetur et admiratur, veneratione philoſopho digna excipiat; ſed chriſtianus quoque ſit, et ſanctae religionis praecepta amplectatur, ſalutem, vnice per mortem Seruatoris partam, expectet, et vbique oſtendat, medicos, qui non omnia myſteria naturae declarare poſſint, etiam myſteria religionis, ad normam ſacrae ſcripturae propoſita, credere, nec explicare velle. Sacrae coenae itaque vſum non negligat, nec ſubtilibus quaeſtionibus, ex phyſica depromtis, theologos confundat, ſed verae religionis cultu omnibus ſe commendet.

§. 469.

Nihilo minus ſuperſtitioni, quae exercitia verae religionis ſaepe turbat, eamque incredulorum ludibrio exponit, ſtrenue ſe opponat. Cum itaque in aegrorum cura multa ſuperſtitioſe ſuſcipiantur, illa omnino reiiciat, nec remedia, quae ex hoc fonte manant, approbet. Inſomnia vt ſigna morborum attendat, ſed ea indicia methodi medendi et medicamentorum eligendorum eſſe, nunquam cenſeat. In vniuerſum itaque ea, quae a vero Dei cultu et phyſicis principiis aliena ſunt, nec committat, nec approbet, ſua potius auctoritate, vt ridicula et obſcura, reiiciat, ideoque anicularum ſuperſtitioni nunquam faueat.

§. 470.

Vt bonus chriſtianus eſſe debet, ſic etiam boni ciuis officium ſeruet, qui eas, quas in republica ſuſcepit partes, bene tuetur. Publicis calamitatibus, quae in morbis epidemicis ſaepe ingruunt, nunquam ſe

ſubtrahat. Non procerum tantum et diuitum beneuolentiam captet, ſed etiam pauperiorum calamitatibus atque aerumnis, quantum in viribus eius poſitum eſt, ſuccurrat. Soſtrum non negligat, immo exigat, neque tamen auaritia incenſus, artibus fraudulentis v. c. viliorum medicamentorum, magnis tamen laudibus depraedicatorum, venditione lucrum augeat, ſed in omnibus vitae partibus boni viri ideam re ipſa exprimat.

§. 471.

Vt triſtibus, ſic etiam gratis rebus medicus interſit, et amicitiam cum iis colat, ex quorum conſuetudine ei oble&amentum accedit, atque ita hilaritate animum a curis liberum efficiat. Fugiat autem conuiuia minus ordinata, et potus inebriantis abuſum, ne riſui aliorum ſe exponat, ex qua re non tantum nimia familiaritas et contemtus oritur, ſed fiducia etiam in eius dexteritatem maxime minuitur: quin potius, ſi aeger conſilium rogat, gaudiis his ſe ſubtrahat, res ſuas accurate agat, et poſtquam officio ſuo ſatisfecit, amicis ſe denuo reddat.

§. 472.

Multo minus, quando ex officii ratione ad aegros accedit, a negotiis aliis adhuc exequendis ſe detineri patiatur, aut, vini potu vel aliis oble&amentorum generibus alle&us, plures horas in conclaui aegrorum aliena agendo tranſigat, ſed officii ſui rationem habeat. Neque de rebus, quae vel in publica, vel priuata vita aguntur, multos ſermones miſceat, nec mendaciis, quae ex publico rumore naſcuntur, facilem aſſenſum praebeat, nec, quae ab irriſoribus forte inuenta fuerunt, credulus arripiat. Neminem

minem alium acriter perſtringat, ſed quaecunque ad rem ipſam ab eo conficiendam non pertinent, obiter tantum attingat.

§. 473.

In priuatas familiarum controuerſias nunquam ſe immiſceat. Quamuis enim interdum, cum omnium amicus ſit, cuius auctoritas quoque in multis rebus valet, conſilia ſua ad has quoque res extendere cogatur: quamuis interdum, vbi res aegri ex eiusmodi rixis deteriores fiunt, ex officio ſuo ad eas componendas vel ſupprimendas adigatur: quantum tamen fieri poteſt, inimicitias, inter coniuges, vel parentes et liberos, vel alios agnatos motas, ex vtraque parte potius ſopiat, quam vni alterique aſſentiatur.

§. 474.

Vti vero in rebus variis priuatis familiarum agendis et diſponendis, vbi amicum mediatoris officium expetunt, caute ſe ſubtrahit, ſic praecipue monendus eſt medicus, ne his ſua officia obtrudat, qui eius conſilium ſequi recuſant. Hinc in teſtamenti tabulis exarandis, in coniugiis ſanciendis, in educatione liberorum, quoad res morales ordinanda, et in aliis rem familiarum concernentibus, non ita ſe immiſceat, vt aliis moleſtus fiat. Licet enim hoc ſine neglectu officii ſui praeſtare poſſet, odium tamen diuturnum ſibi inde contrahit, quod tandem in vlteriori aegrorum cura eum minus acceptum, vel moleſtum adeo reddit.

§. 475.

In veſtitu doctoris medici aliquis externus cultus omnino neceſſarius eſt. Vti vero ex vna parte omnis

ſplendor, ſic ex altera ridicula quaedam affectatio euitanda eſt, moribus potius temporum ſuorum in his ſe accommodet. Munditiem prae reliquis ipſe obſeruet, quam aliis commendare tenetur. Neque vero odoribus placere cupiat, nec foetore moleſtus ſit, qui forte ex anatomicis vel chemicis exercitiis illi adhaeret. Ad adhaerentes e conſuetudine quadam geſtus, vel prouerbia, et peculiares dicendi rationes, et alia, quae eum iniquis iudiciis exponunt, ſedulo attendat, et, ſi quid irrepſerit, omni attentione corrigat, ne, his ipſis rebus riſu ſaepe exceptis, ludibrio ſe exponat, ſuam potius auctoritatem vbiuis tueatur.

§. 476.

Cum itaque officii ratio medicum vbique ferme et publicis et priuatis rebus intereſſe iubeat, multa commemoranda reſtabant de modo inter aegros et alios verſandi, quae tamen, cum prudentiae cuiuslibet medici relinquenda, et praeterea infinita ſint, non fuſius recenſebimus, ea tantum, quae ad amicos aegri, inprimis eos, qui ſingularem eius curam ſuſcipiunt, pertinent, breuiter tangemus, cum a medico ad ſalutem aegri vnice curandam hortandi ducendique ſint.

§. 477.

Nimirum quando medicus ea, quae in aegro obſeruare debet, attendit, et quaerendo intellexit, qua cura hactenus ſit tractatus, de reliquis praecipiat, et iis, qui aegro adſunt, de medicamentis, definito tempore exhibendis, de regimine diaetetico et diſpoſitione exponat. Ad quaeſtiones motas expedite reſpondeat, et vsque ad definitum tempus, quo

ad

ad aegrum redibit, omnia accurate ordinet. Si in morbo grauiori triſtes quasdam rerum conuerſiones praeuidet, de his etiam agat, easque accuratius definiat, ne ob leuiores quaslibet mutationes denuo, aut noctu ſaepius, accerſatur.

§. 478.

Si in cura aegri quaedam conſiliis medici contraria commiſſa ſunt, ſi medicamentum propoſitum non exhibitum, vel loco huius aliud minus vtile ſumtum eſt, ſi cibus noxius vel potus minus conueniens aegro propinatur, ſi per incuriam refrigerium morbi felicem progreſſum turbauit, cet. medicus ſeuerus ſit cenſor, et, quo illi errores in poſterum euitentur, damni inde oriundi triſtes euentus oſtendat. Si autem aegro nulla noxa inde allata fuit, tantum amice ea, quae corrigenda ſunt, moneat, nec continuis monitionibus aegrum eiusque amicos fatiget.

§. 479.

Orta autem ex errore quadam noxa, difficile vel prorſus non corrigenda, id ſedulo agat, vt damnum, ſi minus tolli nequit, at, quantum fieri poteſt, imminuatur: quod ſi vero nullam prorſus correctionem admittat, et aeger inde in vitae periculum coniiciatur, funeſtum adeo effectum alio modo explicet et excuſet, ne menti eorum, quorum culpa erratum eſt, maculam inurat, qua ad perpetuam triſtitiam conuertuntur. Si vero fama medici ex aliorum negligentia detrimentum capiat, veris rationibus declaratis ſuam medendi methodum defendat, et erroris cauſſam luculenter indicet.

§. 480.

Cum vero inferioris ſortis homines, qui aegris mercede locant operam manuariam, haud raro et ipſi conſiliis clandeſtinis ſapere ſoleant, et medendi rationes exponant, horum audaciam auctoritate ſua comprimat, nec vnquam conſilium eorum laudet et approbet, ſed, ſi aliter fieri nequit, excuſet. Etſi enim his hominibus ſaepe in exhibendis ingratis medicamentis, et aliis officiis, iuſto tempore praeſtandis, vt miniſtris vti poteſt et debet, ſemper tamen id agat, vt intelligant, medicum eſſe rerum agendarum directorem. Beneuolentiam horum hominum captare, et illorum commendatione vti, humile omnino eſt.

§. 481.

Alia quodammodo ratione cum chirurgis et obſtetricibus verſetur, quibuscum, vt ex officio ſociis medicorum, conſilia conferre tenetur, et ſi in ipſa arte, quam profitentur, aliquid vrgent, iis ſapienter cedat, vel ab iis etiam varias res, in commodum aegri conſiderandas, ſciſcitetur. Quod ſi vero rebus, ex eius vnius directione pendentibus, ſe immiſceant, interna medicamenta exhibeant, et opinionem ſuam de morbo exponant, vel alio quouis modo medici auctoritatem laedant, eorum audaciam refutet, et vlteriorem directionem rerum ſuſcipiat.

§. 482.

Cum maxima cura medici in eo poſita ſit, vt effectus remediorum exhibitorum cognoſcat, et inde ad nocentia vel iuuantia concludat, accurate omnino attendat, ne medicamenta clam exhibeantur, nec indicationi formatae contraria eligantur. Quo autem,

tem, ſi hac in re aliquid ſuſpicetur, certior fiat, interdum ex improuiſo, et horis non definitis, ad aegrum accedat, et examine inſtituto cognoſcat, vtrum eius conſiliis obedientes fuerint, an alia medicamenta exhibuerint. Hac etiam attentione non raro varios diaetae errores detegit et corrigit, et vbique ſuam in medendo ſolertiam declarat.

SECTIO VIII.

DE SELIGENDIS ET EXPONENDIS OPTIMIS OBSERVATIONIBVS.

§. 483.

Medicus practicus, principiis artis inſtructus, et in omni doctrinarum nexu verſatus, ſemper exercitatior redditur, ſi eam normam ſtudiorum ſibi proponit, per quam et aliis vtilis eſſe, et arti ſalutari id reddere annititur, quod ab ea accepit. Neque tamen practici, inclareſcendi pruritu agitati, ſub initium praxeos hiſtorias morborum et obſeruationes, ipſis quodammodo nouas, protinus conſcribant, et in publicum edant, in his enim rerum propoſitarum farrago et ordo minus probabilis legentes ſaepe turbat, et haud raro inde eluceſcit, auctores in diiudicandis et curandis morbis nondum fuiſſe exercitatos. Colligant hi potius obſeruationes in ſuos vſus, et poſt iteratam naturae contemplationem, crebramque librorum lectionem, tandem perpendant, an alios etiam inſtruere poſſint.

§. 484.

Norma autem haec forte erit. In morbis eorum, quorum vitae rationes bene cognofcit, defcribendis, medici practici fe exerceant, annotationibus fide dignis fyftema fuum amplificent, cauffas falubritatis et morborum vniuerfales in vrbe et prouincia, in qua artem faciunt, recte definiant, epidemicorum morborum praecipue progreffum fedulo examinent, et hac confuetudine per plures annos feruata experiantur, vtrum obferuationes fingulares, attentione dignas, ad fyftema amplificandum conferre, an ftatum falubritatis et morborum fuae prouinciae et vrbis in commodum aliorum practicorum, ibi medicinam facientium, defcribere, an quaedam primaria praxeos medicae capita fuis animaduerfionibus illuftrare poffint. Quam quidem rem nunc vlterius declaraturi fumus.

§. 485.

Quomodo medicus in aegrorum examine et in quotidiana annotatione notabilium rerum occupari debeat, fectione tertia et quarta declarauimus. Si ergo interdum diarium perluftrat, et potiffimum ad morbos eorum refpicit, quorum curam faepius et in morbis habitualibus fufcepit, multa notatu digna deprehendet, quae concinno ordine exponere, et ad aegrorum fuorum commodum etiam inpofterum conuertere poteft. Hoc enim modo in examine morborum progreffus, ipfe magis exercitatur, et multiplici cauffarum ac fymptomatum copia examinanda ad praecipua tantum attendere difcit.

§. 486.

§. 486.

Ex hoc ipſo diario ſyſtema ſuum illuſtrare et ita perfectius reddere poteſt, ſi ea, quae attente obſeruauit, vel e frequenti experientia eius animo inhaerent, vt confirmata aſſumit et defendit. In his autem nouum et erudito vtilem laborem, inque futuri temporis commodum ſuſcipit, ſi aliorum auctorum inuenta et obſeruationes cum ſuis confert, et ita ex his alia certiora reddit, alia vero falſa pronunciat, alia denique limitatione conueniente circumſcribit, inprimis in ſignis mutationis morborum, rarius occurrentibus, et effectibus remediorum nonnulla ad aduerſaria ſua refert.

§. 487.

Signorum fallacia maximum impedimentum eſt, quod iunior medicus ſuperare debet, ſuperabit autem eo melius, ſi omnia ſigna morborum accurate attendendo varietatem eorum et conuenientiam ſibi ob oculos ponit. Lectio veterum auctorum ad hanc rem ſumme neceſſaria eſt, etſi cum hac cautione, vt, quid climati et vitae generi mutato adſcribendum ſit, annotemus. Nemo autem per fallacias ſignorum eo ſe adigi patiatur, vt neceſſariam hanc partem medicinae prorſus negligat, in ea potius colenda omnes animi vires intendat, cum nemo, niſi in ſemioticis vere exercitatus, artem medicam cum fructu facere poſſit.

§. 488.

Poſtquam autem primariam operam in ſignis diagnoſticis eruendis, cum anamneſticis comparandis, et vere definiendis, collocauit, et in hac re contemplationem naturae cum lectione optimorum libro-

librorum copulauit, alteram et longe difficiliorem partem in mutationibus morborum colat, et cum priori coniungat. Cum enim prognosis morborum non tantum ab aegro et amicis eius anxie efflagitetur, sed medicus ipse sine prognosi nec feliciter progredi, nec nocentia vel iuuantia in motibus spontaneis, criticis, et ipsis remediorum effectibus, discernere possit, maxime laudandi sunt practici, qui suo studio hanc doctrinae medicae partem, ex veterum libris deductam, ad nostra tempora accommodant.

§. 489.

Vti vero medicum in apparatu remediorum disponendo ratione materiae medicae et pharmaciae attentum requirimus, sic etiam therapeuticam partem in viribus et effectibus remediorum caute attendere discat. Ea itaque, quae in praestantissimis auctoribus de efficacia medicamentorum reperiuntur, annotet, et, quales effectus ipse obseruauerit, addat, quam rem ex diario suo optime eruere potest, cum aegri indolem et naturam simul descriptam habeat, nec tantum vires in genere definire, sed etiam limitationes et monita hac in re necessaria adiungere queat.

§. 490.

Hoc autem negotium, etiamsi per totum vitae practicae decursum non intermittendum est, in primo tamen decennio tantum ad suam instructionem dirigat, sed simul de futuro fructu cogitet. Nunquam tamen in animum inducat, immaturos huius laboris fructus protinus diuulgare, sed sufficit omnino, si haec in diario dispersa, otio nonnunquam concesso, in miscellaneas interdum obseruationes disponit et

cogit,

cogit, quo iis tunc demum vtatur, cum, rebus ſemel iterumque perpenſis, epidemicorum morborum rationes, et obſeruationes alias rariores, rem medicam illuſtrantes, in aptum ordinem digerere, et publici iuris facere poteſt.

§. 491.

In vrbibus populoſioribus, vbi ob diaetae errores, vix ſemper euitandos, et morbi ſporadici frequentiores ſunt, et epidemicorum quoque ſingulares non raro progreſſus, ſaepius etiam peculiares mutationes ſe offerunt, medici in obſeruando exercitati, qui nimirum non tantum disquiſitionem cauſſarum vniuerſalium ſuſceperunt, ſed et medendo aliquam facultatem conſequuti ſunt, annuas etiam has morborum varietates obſeruent, verum et vbique ferme ſolennem morborum decurſum primum doceant, paulo poſt nonnullas ſingulares cauſſas, ſymptomata, metaſtaſes et criſes annotent, de tempeſtatibus variantibus ſimul exponant, et cuncta ſectionibus practicis cadauerum illuſtrent.

§. 492.

Tradita ſunt nobis iam inter veterum obſeruationes haec ſpecimina, et praeter alios multos, a nobis non fuſius adducendos, SYDENHAMI et HUXHAMI in Anglia. Sedulo tamen ſibi caueant ſcriptores practici, ne ficta veris immiſceant, nec hypotheſibus ceu electis medendi methodis indulgeant: etſi enim cuncta veris theoreticis principiis ſuperſtruenda ſunt, veritas tamen obſeruationis in his ante omnia quaeratur, cum ideo proponantur, quo varias artis medicae doctrinas illuſtrent, et inprimis medendi methodum regant.

§. 493.

Et his rariores morborum hiſtoriae interdum adiungantur vel inſpergantur, eae ſcilicet, in quibus relatio cauſſarum ad ſymptomata, vel vires naturae et medicamentorum, ſingulari prorſus ratione ſe obtulerunt. Duplici vero modo in his proponendis vti poteſt obſeruator medicus: vel enim tantum ea, quae eueniunt, attente et candide recenſet, et aliis iudicium ſuper iis relinquit, vel explicationes quasdam, theoriam medicam illuſtrantes, ſubiungit, per quas aut phyſiologicae aut pathologicae doctrinae, inprimis ſemioticae obſeruationes, vel indicationes vniuerſales et particulares, vel eorum contraindicantia et coindicantia, vel tandem effectus praeſtantiſſimorum remediorum accuratius definiuntur.

§. 494.

Si quis vrbis aut prouinciae totius curam medicam ſibi commiſſam habet, is magis quam alii ad vniuerſum phyſico-medicum ſtatum reſpicere tenetur, quo ita de aere, aquis, locis, de victus ratione, de natura et indole incolarum, nec non de epidemicis morbis eiusdem prouinciae, aptas et amplas collectiones inſtituat, et ex his demum varia in compendium cogat. Accurata haec rerum conſideratio norma eſt futuris medicis, in his vrbibus et prouinciis artem facientibus, quam nouis ſemper obſeruationibus additis illuſtrare et ita perficere poſſunt.

§. 495.

Huc referendi ſunt endemii morbi, quibusdam populis quaſi proprii, vt ſcorbutus et plica Polonica, vel alii, qui, attentione ad cauſſas et peculiarem morbi progreſſum adhibita, veris obſeruationibus illu-

illuſtrari et ad vniuerſum ſyſtema referri poſſunt. Neque tantum rariores ſibi locum vindicant, ſed et vulgares, ſaepe tamen in prouincia quadam occurrentes, v. c. pleuritides, colici dolores, haemorrhoides et ſcrophulae: diſquiſitis enim veris cauſſis et ſignis, iisque per hiſtorias morborum explicatis, medendi methodus et ſelecta ſpecificaque remedia ſaepe melius cognoſcuntur, et applicatione accuratius definiuntur.

§. 496.

Simili ratione et alii morbi, qui a medicis quibusdam in noſodochiis publicis crebrius tractantur, peculiaribus diſquiſitionibus, per plures annos continuandis, occaſionem praebent. Morbi infantum in orphanotrophiis, venerei morbi in noſodochiis, in quibus eiusmodi aegri praecipue excipiuntur, porro mania, melancholia, epilepſia, morbi glandularum, cet. cum haud raro talem medicum quotidie occupatum teneant, huius etiam indefeſſam conſiderationem exigunt. Tandem morbi caſtrenſes, et in noſodochiis militaribus frequentes, clinici et chirurgici, ſigillatim diſquiri, et ad doctrinam medicam vniuerſam referri poſſunt.

§. 497.

Et medici phyſici, a magiſtratu conſtituti, varia medicinae forenſis capita accuratius examinare poſſunt. Nam praeter ea, quae de cauſſis et remediis morborum vniuerſalium §. 494, 495. propoſuimus, varias quaeſtiones dubias iuris ciuilis, criminalis et eccleſiaſtici ex principiis phyſico medicis, praecipue anatomico chemicis, illuſtrare, et de laeſionibus morborum et mortis cauſſis iudicare poſſunt.

§. 498.

Quod si vero medicus in ipsa praxi ob nimiam laborum copiam et senium iam appropinquans eruditis curis inhaerere, et ex aduersariis suis auctis optima seligere nequeat, tamen saepe tot vniuersales vel particulares conclusiones, per disquisitionem et curationem morborum collectas, animo habet impressas, quas vt monita iunioribus medicis tradenda colligat, et publici iuris faciat: si enim medici, vanis opinionibus non decepti, eiusmodi libellos edant, in paucis saepe plagulis, succincte elaboratis, tanta doctrinae practicae vis deprehenditur, quantam in spissis saepe voluminibus, confuse tamen collectis, frustra quaerimus.

CAPVT. V.

DE PVBLICA REI MEDICAE CVRA.

§. 499.

In institutionibus medicinae forensis specialia quaedam medicorum officia in republica ordinanda examinantur, in quibus a magistratu iuuandi sunt, v. c. in caussis sanitatis publicae et conualescendi subsidiis ordinandis. Nunc ea videntur exponenda, quae a summis imperantibus, culturam studii medici inter ciues suos iuuantibus, desiderari possunt. Paucis igitur de vniuersae eruditionis adminiculis praemissis, ea, quae speciatim medico physica studia concernunt, declarabimus.

§. 500.

Vniuersitates sic dictae literariae, in quibus doctrinae vniuersae a praestantissimis professoribus exponun-

ponuntur, ſapientiſſima ſunt principum inſtituta. In his adoleſcentes, iactis initiis cognitionis in ſcholis minoribus, ad altiores diſciplinas transeunt, eoque conſilio doctores in variis diſciplinis verſati ſtipendiis aluntur, vt nexum aliquem doctrinarum in commodum reipublicae tradant. Ex maiorum autem inſtituto res ita ordinandae eſſent, vt nemo ad altiores diſciplinas admitteretur, niſi in principiis doctrinae ſatis confirmatus.

§. 501.

Conſenſus hic doctrinarum, quem in reliquis diſciplinis exigimus, in phyſico medicis quoque requiritur. Quando enim, praeter humaniores literas hiſtoriam et philoſophiam, doctrina phyſica, ex mathematicis principiis declarata, et hiſtoria naturalis, anatomia et chemia ad vniuerſalem corporum naturalium conſiderationem diriguntur, vtiliſſimi reipublicae viri inſtruuntur.

§. 502.

Cum enim res oeconomica omnis ex his principiis cognoſcenda et ordinanda ſit, multi ex iis ad animale et vegetabile regnum ducuntur, agriculturam, rem pecuariam, artem veterinariam et alias reipublicae vtiles res non ſine fructu tractant. Alii ad mineralia corpora potiſſimum attendunt, neque ſolum in foſſilibus, ex terrae ſinu eruendis, et per docimaſiam cognoſcendis, ſed etiam per varias artes, v. c. tinctoriam, in officinis manuariis perficiendis, et in vſus commerciorum dirigendis, ſummo cum ſtudio verſantur.

§. 503.

Haec cuncta ad incolarum commoda amplificanda multum faciunt. Sed medici potissimum in eo operam collocare debent, vt ex praemissis disciplinis §. 501. vt principiis bene disquisitis et excultis, sanitati incolarum prospiciant, salubritatem prouinciarum publicam dirigant, et praeter conseruationem sanitatis de diaeta consulendo, ad diiudicandos et curandos morbos se conuertant, et ita per disciplinas theoreticas ad practicas transeant. Vix enim, dici potest, quantum saepe a fine primario detrahantur, si ad alia §. 502. animum simul applicant.

§. 504.

De condendis academiarum bibliothecis primo cogitandum est, cum priuatae tantum librorum selectorum copiam habeant, et res familiaris eruditorum, saepe nimis angusta, pretiosioribus colligendis non sufficiat. Inprimis autem doctrina medico physica haec publica adiumenta desiderat. Quam ob rem non tantum veterum et recentiorum libros dogmaticos, sed etiam ex disciplinis praeparantibus splendida illa opera, ob iconum copiam et elegantiam sumtuosa, etiam diaria eruditorum, ex praecedenti seculo ad nostra vsque tempora continuata, in bibliothecis publicis, munificentia principum auctis, reponenda sunt.

§. 505.

Plantae, in patrio solo crescentes, ratione formae et culturae melius quidem disquiruntur, quam eae, quae in horto variis artificiis educantur: qui tamen ad hoc studium ducendi sunt, in hortis varie-

tatem

tatem diſcant, et culturae rationes in vſus oeconomicos ſimul definiant. His vero ſuſtinendis et continuo colendis ſumtus priuati non ſufficiunt, inprimis cum in commoda omnium diſciplinarum phyſico-medico-oeconomicarum in hortis his collectiones omnium rerum naturalium ſimul aſſeruari poſſint, quo corporum varietas et ordo in aliis quoque naturae regnis cognoſcatur.

§. 506.

Publicis quoque ſumtibus inſtruenda ſunt theatra anatomica et laboratoria chemica. In illis enim non tantum diſſectiones et demonſtrationes cadauerum humanorum fiant, et partes quaedam in futuros vſus aſſeruentur, ſed zootomica etiam exercitia ſuſcipiantur: in his vero tentanda ſunt ea, quae non tantum ad pharmaciam colendam, ſed ad oeconomicas quoque res ſpectant, et ita mixtiones corporum naturalium egregie illuſtrant.

§. 507.

Cum autem inſtituta vniuerſitatis literariae tantum ad doctrinam rerum dirigantur, et munus profeſſoris adeo arduum ſit, vt in ordinandis potius, quam inueniendis rebus tempus conſumere poſſit; cum his coniungendae ſunt ſocietates hominum eruditorum, qui in rebus dubiis vlterius enodandis operam collocant, et inuentis inclareſcunt, ita vt, cum profeſſores rectores ſtudiorum ſint, academici in ſocietatem coniuncti partes doctrinarum, nondum ſatis cultas, diſquirant et illuſtrent.

§. 508.

Ex idea autem inuentoris, quam nos §. 242 propoſuimus, ſatis patet, eorum officium non tantum

hoc

hoc abſolui, ſi quasdam doctrinarum partes in ſuis libellis tangant, et varias diſſertatiunculas edant, ſed omnes, qui in ſocietatem coeant, et ſtipendiis publicis alantur, communi opera in id intentos eſſe debere, vt ſubſidiis variis doctrinae adiuti rebus hactenus notis tentamina noua addant, et ita ad vlteriorem diſciplinarum medico phyſicarum culturam progrediantur, ideoque annos in continuo labore, ad vnum finem directo, conſumant, quo cognitio rerum inde augeatur.

§. 509.

Cum autem omni arti medicae curatio morborum propoſita ſit, principum eſt, tam vtilem artem inſtitutis fulcire, vt poſſit vtilis eſſe. Noſodochia igitur publica inſtituantur, quae non tantum domicilia, pauperioribus ciuibus ſuſcipiendis, apta ſint, ſed e vicinis quoque prouinciae locis aegros variae conditionis excipiant, quo morbi ſingulares, multa cum cura tractandi, vel cum operationibus chirurgicis difficilioribus coniuncti, v. c. morbi oculorum, lithotomia cet. accurate tractentur.

§. 510.

Ex hac re etiam arti medicae colendae publica accedunt commoda: in his enim noſodochiis medici iuniores ita exerceri poſſunt, vt, quae in theoreticis diſciplinis cognouerunt, agendo repetant et perficiant. Medici autem veterani, qui directores noſodochiorum ſunt, a iunioribus adiuti, in disquirendo morborum progreſſu et conuerſionibus, in obſeruanda naturae vi et medicamentorum efficacia, in corrigendis operationibus chirurgicis, ita proficere poſſunt, vt morbis medendi methodus ſemper perfectior reddatur.

INDEX.

INDEX.

Numerus §. indicat.

A.

B.

C.

Tempe-

Emendanda.

p. 11. l. 24. CHARISTIUS l. CARISTIUS.
p. 18. l. 1. TRINCIAVELLA l. TRINCAVELIUS.
p. 187. l. 21. minus deleatur.